

**05**

**A**

**1952**





I. N. J.

ASSERTIO THEOLOGICA,  
**Quod Simplificissima**

Fides sit optima Fides,

*annexis simul*

ARTICULIS CREDITU NECESSARIIS.

*Quam*

In celeberrimâ Academia Wittebergensi,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*Plurimum Reverendi, Praclarissimi &  
Excellentissimi*

**DN. JOHANNIS HULSEMANNI,**

SS. Theol. D. & Prof. Publ. celeberrimi, Alumno-  
rum Elector. Ephori, Præceptoris ac Promotoris  
sui perenni observantiæ cultu prose-  
quendi,

*Placido Eruditorum Examine publico*

*subjicit*

**M. JOHANNES LAURENTI,**

Gubenâ Lusatus,

*In Auditoriô Majori*

*die 10. Junii.*

---

WITTEBERGÆ

Ex Officinâ Typographicâ MICHAELIS WENDT.

ANNO M DC XLI.

V I R I S

*Generosis, Magnificis, Amplissimo, Natalium splendore,  
Consiliis, Judiciò, usuq; rerum Excellentissimis,*

DN. JOHANNI FRIDERICO à Eöben/  
Hæreditario in Schönfeldt/ Merzdorff/ Schid-  
low &c. Illustris. Illustris. Saxonis & Branden-  
burg. Consiliario gravissimo, Inferioris Lusatiae  
Judici Provinciali, Ducatus Crosnensis & Zil-  
choviensis Præsidi laudatissimo, meritissimo.

DN. PETRO FRITZEN, J. U. Doctore  
præximo, Sacri Palatii Comiti, Serenissimi  
Electoris Brandenburgici Consiliario, & ibidem  
Consistorii Ecclesiastici Præsidi spectatissimo.

DN. ADAM à Eöben/ Hæreditario in Krieschow/ Wiesen-  
dorff/ Lumberg & Müschen &c.

DN. HEINRICO JOACHIMO de Schulenburg/  
Hæreditario Baronatus à Lübers & Lambsfeldt &c.

*Dominis Meccœnatibus ac Promotoribus:  
suis magnis, nullò non pietatis officio ac  
servitio colendis,*



Disputationem hanc Theologicam, eâ, quâ  
debet, animi submissione

*Dicat & Offert*

M. Johannes Laurentii Gubenâ Lusat.  
Autor & Resp.

05 A 1952

WITTEBRER  
EX OFFICINA TYPOGRAPHICÆ MICHAELIS  
ANNO MDCXLII

PRO O E M I U M.



Implicissimam Fidelium simplicitatem (illam nempe, quæ se in externas & vanas sollicitudines non effundit, quieta est, Deo vacat, rationem capistrat) nulli non audire optimè, & à simplicissimò Numine commendari unicè, Scriptura fallere nescia testis est probatissimus. Posthabitis aliis, Salvatoris vocem audiamus suavissimam, qui, cùm multis conquestus esset, Evangelii prædicationem à majori parte, præsertim sapientiæ, virtutis, dignitatis & potentiae opinione excellentibus, sperni; paucos verò ex vulgari quasi plebis fece, idiotas, pauperes, simplices, obscuros, contemptos homines illam amplecti, in mediâ querelâ orationem ad Patrem convertit ardentissimam, judiciariamq; ejus voluntatem exponens dicit; *Confiteor tibi Pater, Domine cali & terra, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reservasti ea parvulis. Ita Pater; quoniam sic fuit placitum ante te. Matth. 11. v. 25.* Quod electum illud DEI Organon Paulus optime exponit inquit; *Scriptum est, \* perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. \* Ubi sapiens? \* Ubi scriba? Ubi inquisitor hujus seculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? 1. Corinth. 1, v. 19.* Quid autem sapientia mundi? respondeat B. Gregorius l. 10. moral. c. 27. *Hujus mundi sapientia est cor machinationibus regere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere, quæ vera sunt, fallacia demonstrare; Hæc nimirum prudentia usu invenitur, hæc à pueris pretiò discitur, hæc qui sciunt, ceteros despiciendò superbiunt; Hanc qui nesciunt, subjecti & timidi in*

aliis mirantur, quia ab eis hac eadem duplicitas aequitatis nomine palliata diligitur, dum mentis perversitas urbanitas vocatur. Quæ verò justorum sapientia? edisserat eandem Gregorius. At contra sapientia justorum est, nihil per ostentationem fingere, sensum verbis aperire, vera uti sunt, diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quàm facere, nullam injuria ultionem querere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hac justorum simplicitas deridetur, quia ab hujus mundi sapientibus puritatis veritas falsitas creditur. Hac Gregorius. Ab hac jam sanctissimâ simplicitate in Scripturâ pueros & infantes nominari, observat Clemens Alexandrinus 1. pedag. c. 5. Ab hac commendantur Jacobus Genes. 25. v. 27. Nabanael Joban. 1. v. 47. & alii. Ad hanc excitantur à Christô, præter Discipulos, mortales omnes Matth. 10. v. 16. Hinc quoque elegit nativitatis præcones Pastores simplices Luc. 2. v. 8. Simples ac Pastores accivit Apostolos Matth. 4. v. 18. seqq. Nec sine causa. Etenim, qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter Prov. 10, v. 9. & in simplicitate cordis Deum nos querere jubet sapiens cap. 1. v. 1. Cum simplicibus enim est sermocinatio Dei Prov. 3, v. 32. adeoque melior est pauper, qui ambulat in simplicitate suâ, quàm dives torquens labia sua, & insipiens in pravis itineribus Prov. 19. v. 1. c. 28. v. 6. Hanc igitur piam, sanctam, ac simplicissimam simplicitatem in rebus fidei salutemq; efficientibus unicè necessariam, & nunc pro viribus statuminare tulit animus. Simplicissimum Numen devotis precor suspiriis, ut mentem calamumque in simplicissimâ veritate dirigat, conatuiq; huic Spiritûs Sancti gratiâ adesse velit, Amen.

Caput

# CAPUT PRIMUM.

## Terminorum evolutione, Articulis Creditu necessaris, & genuinâ statûs formatione.

### THESIS I.

**Q**UAMVIS Etymologiâ vocis Fidei hîc supersedere fortea<sup>u</sup> possimus, attamen, cum explicatione vocum insuperhabitâ, magna sæpè suboriri solet doctrinæ confusio, paucis ea præmittenda venit. Ciceroni Eloquentiæ illi parenti placet derivatio à Fio; *Credamus*, inquit (l. i. offic.) *quia fiat, quod dictum est. Nempè Fides, quasi fies. Alii à fidendô deducunt, quam Etymologiam præ cæteris militare arbitrantur non infimi subsellii Theologi. Græcos si adire libet, offert sese, Budæo & Flaciô in Clav. part. i. p. 308. consentiētibus, vocabulû πῖσις à πείθω vel πείθουαι dictum, quod idem est, ac suadendo doceo, ut videre licet Act. 13. v. 43. c. 18. v. 4. Quod verbum πείθω ab Hebræo פתח, à quô & Fidei nomen dicto loco derivari autumat. Verùm, ut de transpositione literarum nimis violentâ nihil dicam, inprimis illud obstare videtur, quod Hebræum פתח in malam sæpius sumatur partem, & decipiendi significationem habeat, momente Avenariô in Lexicô p. 648. & attestante Scripturâ, à Schindlerô itidem in Lexicô p. 1500. citatâ, Deut. 11. v. 6. Job 31. v. 27. &c. Hebræi Fidem exprimunt voce פתח, quæ descendit à Radice פתח quæ in Kal significat nutrit, ut Num. 11. v. 12. Ruth. 4. v. 16. Esa. 49. v. 23. in Hiphil Credidit Gen. 15. v. 6 Psal. 27. v. 13. Psal. 78. v. 22. &c; in Niphâl constans, confirmatus, & in re suâ stabilitus est, ut Psal. 19, 8. Psal. 89, v. 29. & 38. Psal. 78, v. 8, 37. &c. Erit igitur Fides vi derivationis firmissima fiducia, ac stabilis de promissionibus persuasio, vel, ut verbis Ciceronis rem eloquar, dictorum, conventorumque constantia & veritas.*

II. Significata Fidei tum in Profanis, tum in Sacris diligenter expensa dedit Flacius d. l. p. 312. seqq. præcipuè vero in li. *Fidei significata.*

A 3

bro,

Fidei Etymologia.

brô, cui hunc ipsum Titulum Fide fecit. Quæ magnô numero notavit B. Chemnitius T.2. LL. p. m. 256. & 259. seqq. B. Gerhard. LL. T. 3. p. 755. seqq. Quorum opusam diductionem, cum institutum nostrum haut requirat, saltem controversa inter nos & Adversarios paucis attingere libet.

Fidei nomine hic non intelligimus Obedientiam, ut Arminiani & Photiniani.

Photiniani refutantur.

III. Fidei igitur nomine non venit *Obedientia mandatorum DEI*; quemadmodum *Arminiani* & *Photiniani* mirâ planè metamorphosi Fidem operibus oppositam, in ipsa opera commutare haut verentur. *Socinus in Inst. de Justis p. 11. Credere, ait, in Christum Jesum, nihil aliud est, quàm Christo Jesu confidere, & idcirco ex ejus præscripto vitam instituere. Idem p. 26. Nullô, inquit, modo fieri potest, ut Fides in Christum, quâ justificamur, sit credere, quod per ipsius sanguinis fusionem deleta fuerint peccata nostra; sed forma & Essentia Fidei in Christum est, ejus præceptis obedire.* Similia habet p. 124, 134. *Ostorodus cap. 2. Inst. p. 17. So ist nun an Gott glauben anders nichts/ denn daß der Mensch seine Zuversicht auff ihn setze/ vnd ihm gehorsam sey.* ita etiam *Catech. Racov. pag. 28. Schmalzius in refut. Thes. Disp. 6. p. 194. Quam Socinianorum, & cum Socinô sentientium Arminianorum sententiam, argumentis sat speciosis vestitam, antequam destruamus, haut immeritò reponimus (1) Genuinam Vocis significationem. Aliud enim est fiducia, aliud Obedientia. (2) Fidei Naturam. Siquidem hæc operum causa existit, atque per charitatem efficax est, dicente Apostolo Gal. 5, v. 6. & sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est Jac. 2, v. ult. Hinc Fidem per opera, tanquam essentialem formam definiri non posse in confessô manet. (3) Fidei Abrahamitice Exemplum, quæ non per obedientiam & opera, sed per  $\pi\lambda\eta\rho\varsigma\ \rho\omicron\epsilon\iota\alpha\varsigma$ , firmamque promissionis apprehensionem describitur Rom. 4. & quidem (a)  $\alpha\phi\alpha\rho\epsilon\lambda\iota\omega\varsigma$  v. 2, 13, 14, 15. (b)  $\kappa\alpha\tau\alpha\ \phi\alpha\tau\iota\kappa\alpha\varsigma$  v. 3, 9, 11, 12, 13, 14, 15, 18, 20, 21, 22. quod non tantum propter ipsum, sed & propter nos scriptum est, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Jesum Dominum nostrum. v. 22, 23. (4) Fidei judificantis Objectum, quod est gratuita promissio de peccatorum veniâ propter Christi meritum, in quod non ferimur, sive quod non apprehendimus per obedientiam, sed fiduciam unicè, Exemplo Pauli Gal. 2, v. 20. 1. Tim. 1, v. 15. (5) Perpetuam Fidei & Operum*

rum Oppositionem, quam eundem Apostolus Rom. 3, v. 28. c. 4, v. 5. & 13. c. 9. v. 31, 32. Eph. 2, v. 8, 9. suo more urget. (6) *Absurdum*. Hæc enim ex verbis Pauli Gal. 5, v. 6. existeret ἀδόλεξια; Fides est efficax per charitatem, id est, Fides per fidem; seu; charitas per charitatem. (7) *Rationum firmarum defectum*. Quippè hoc ἁπόδοξον universæ Scripturæ ignotissimum esse, omnes, qui ἀρεσκισίας mentis non laborant, fateri necessum habebunt.

IV. Licet verò ex Cypriani consilio ad Demetrianum, *verecundius ac melius esset, errantis imperitiam silentio spernere, quam loquendò dementis insaniam provocare*; ne tamen stultus sibi videatur sapiens Prov. 26, v. 5. paucis Adversario respondebimus. Totus vero *Ostrodus* est in hòc ipsò, ut commentum suum ex Scripturis verisimile reddat. Hinc producit. (1) *Psal. 78. v. 21, 22.* Ubi Israelitas incredulitatis accusari ait, quia debitam obedientiam DEO non præstiterint, idque videri ex totò Psalmò, imprimis autem ex v. 7, 8, 9, 10. *Inst. Germ. p. 17. R.* (1) Aliud est *Subiectum*, aliud ipsa *Forma Fidei*. In subiecto, nimirum homine salvandò, semper concurrat obedientia; hanc v. esse ipsam Fidei formam, inde non elicitur. (2) *Distinguo inter ipsam ἀπισίαν* Judæorum, & ejus *Obiectum & modum*. Respuerunt illi gratiam DEI, sed fundatam in promissione de Messia ejusque meritò. (3) Coniunguntur quidem v. 7, 20. ponere in DEO spem suam, & mandata ejus observare &c. at ea propterea non statim identificantur, vel ut essentialiter conjuncta ponuntur. Conjuncta n. non statim eadem esse vel tyronibus notum est. (4) Deniq; vocabulū *Obedientia* sumitur vel *Latè & Evangelicè* pro voluntatis divinæ & misericordiæ in Evangelio nobis revelatæ approbatione & receptione ut *Act. 6, v. 7. Rom. 10, v. 16. 2. Thess. 1, v. 8. Rom. 1, v. 5. cap. 16. v. 2. 2. Cor. 10, v. 5.* vel *Stricte & Legaliter*, in oppositione ad fidem pro bonis operibus. In sensu *priori* illa admittitur; in *posteriori* excluditur ex *Articulò tum Justificationis Rom. 4, v. 5. cap. 9, v. 31. Gal. 2, v. 16.* tum *Renovationis*, ubi Fides & obedientia ut causa & Effectus se habent, *Matth. 3, v. 5, 10.*

2.) *Dan. 6, v. 23.* Fidem Danielis nil nisi fiduciam de auxiliò DEI, & obedientiam fuisse probat ibidem *p. 18. R.* (1) Ab inclusivâ ad Exclisivam malè procedit, sicque principium petit. Concesso enim Fidem Danielis promissioni DEI de auxiliò in ni-

xam

xam fuisse; nullum tamen respectum ad Messiam illum habuisse, unde probabit. Cùm sine Christo nemo Deo placere possit. *Act.* 4, v. 12. *c. 10, v. 43. c. 15, v. 8. c. 26, v. 7.* (2) Copulatè de Daniele do, quod DEUM coluerit *v. 16.* eiq; servierit, *v. 20.* quodque ipsius justitia & coram DEO & coram Rege fuerit inventa *v. 22.* & DEO crediderit *v. 23.* (3) Distinguo inter *liberationem Corporalem & spiritua-* *lem.* Ibi Fides potissimum est in actu legali; ita tamen, ut non omnis respectus Messia tollatur; Hic in Evangelicò.

3.) *Jon. 3, v. 4.* Ninivitarum Fidem per Obedientiam præceptis Dei præstitam describi urget ibid. cap. 1. R. (1) Fides Ninivitarum disertè distinguitur ab obedientia ex fide præstita *v. 5.* (2) Fidem eorum subsecuta est peccatorum remissio, quæ sine sanguinis effusione fieri nequit *Hebr. 9, v. 2.* Quare sanguinem non hircorum, sed agni immaculati respexerint necessum est, *Job. 1, v. 19.*

4.) Abrahæ Fidem in observatione mandatorum fuisse sitam probare nititur ex capp. *Rom. 3, & 4.* Verùm R. (1) Conjuncta quidem fuit cum obedientiâ, interim formaliter non fuit ipsa obedientia, sed fiducia firmiter apprehendens promissionem de semine benedictò, nempe Christo, explicante ipsò Apostolò *Gal. 3, v. 8. 16.* (2) Quomodo Fides Abrahami obedientia dici possit, è dictis constat. *confer B. Meisn. Disp. 1. de Fidei Objectò tb. 106.*

5.) *Hebr. 11.* Per integrum caput probari contedit, Fidem Patrum tantum in fiduciâ generali & obedientiâ, spe præmii præstita collocatam fuisse, d. l. p. 22, & 23. R. (1) Contrarium evincit Apostoli scopus, qui est, Hebræos animare, ne metu periculorum confessionem de Christo abjiciant *c. 10, v. 38.* *Siquis inquit, subtraxerit se* (nempè à fide propter pericula) *non placebit anima mea.* Quem jam ut obtineat, *cap. 11.* Exempla Fidelium, quorum Fides nullis calamitatibus infirmari potuit, *v. 24, 25, 26.* allegat. Siquidem Fides extra Christum *πίστις ἐπιζομένων καὶ ἐλεγχομένων* esse nequit. (2) Concedimus, Fidem plerumq; describi ab Effectu, ut ab hoc ad illam immotò concludamus argumentò, cùm hic, non ista *ὁριστικῶς* sit ipse effectus.

*Rationes à Socinianis allegatas, cùm ex dictis refelli possint, non attingemus; modò præterea observes, non omne id, quod in homine salvandò requiritur ad Fidei formam pertinere. Cùm in eò aliquid requiratur vel ut Causa salutis ex parte nostri Organica; vel*

vel ut aliqua subiecti conditio. Requisita priori, non posteriori modo definitioni DEI tribuimus. Ulteriore hujus rei explanationem qui poscit, adeat *Pl. Reverendum & Excell. Dn. D. Jacobum Martini, Seniore hujus Academiae venerandum, Patronum ac Praeceptorem meum summè honorandum, in Synopsi Relig. Photin. Diss. 9. tb. 4. seqq. p. 251. seqq. B. Meisn. d. l. tb. 32. D. Feuerborn. in Anti Ostor. Diss. 3. tb. 4. seqq. Impiet. Phot. D. Tbummii p. 398. seqq. D. Stegman. Photinian. Diss. 39. p. 454. seq. D. Brockm. part. 2. Syst. Theol. de fide Inst. c. 2. quest. 18. p. 454. seqq.*

V. Ut verò Photinianis & Arminianis loco Fidei Obedientiam substituentibus cum scripturis jure merito adversamur; ita multò minus cum Pontificiis Fidei nomine Ignorantiam admittimus, quemadmodum fortissimus ipsorum Achilles Bellarminus *l. i. de justif. c. 4. col. m. 939.* eam definire non erubescit, idq; ideò ut somnium illud de fide Carbonariâ & implicita à scholasticis vehementer commendata ac propugnata, eò feliciter *cap. 7. d. l. col. 940.* tueri possit, ubi ita concludit; *Mysteria Fidei, quae rationem superant, credimus, non intelligimus, nec per hoc fides distinguitur contra scientiam, & melius per ignorantiam, quam per notitiam definitur.* Suo adstipulantur Cardinali Anglo Rhemensis in annot. ad *cap. 12. Luc. v. 11. n. 2.* Verùm (1) nimis incogitanter Jesuita hæc pronunciat. Namq; ipse in præcedente *cap. 6. p. 944.* liberè fateatur, *Fidei proprium esse plenissimè scire, planissimè persuasum esse, & pro certò habere.* Hoc si verum, uti verissimum, quæ plenissimæ scientiæ Ignorantia simul conveniet. Sic *cap. 5. d. l. Fidem,* inquit, *representare menti res sperandas.* Utiq; prius cognoscat Objectum illud necessum est. (2) Ipsi ejus Vitæ & doctrinæ socii, qui existimationis suæ ita prodigi non sunt, ultrò in contrariam sententiam inclinant. Etenim Costerus in *Enchir. c. 4. p. m. 164.* primam Fidei proprietatem ponit, quod sit species quædam cognitionis non minus atque scientia & opinio, sicut Apostolus ait *Hebr. 11. v. 3. Fide intelligimus aptata esse secula verbò Dei.* Et paulò post tertiam proprietatem explicat, *quod quæ fide tenemus, certissimè cognoscamus, longè etiam certius, quàm res eas, quas sensu percipimus;* quod ex *2. Pet. 1. v. 19.* confirmat. Huic calculum suum adjiciunt *Estius in Comment. 1. Pet. 2. v. 9. Pineda in com. Job. 19. v. 15. p. 96.*

Non ignorantiam, ut Pontificiis.

Pontifici re-  
futantur.

num. 1. Gregor. de Valent. lib. 1. Diss. in Thomam Diss. 1. quest. 1. punct. 1. col. 28. Benedictus Justinianus in cap. 10. Rom. Vasquez in 1. 2. quest. 209. c. 3. & alii. Quos omnes quomodo Bellarminus sibi reconciliare possit, ipse videat, Confer B. Gerhardi Confess. Cath. l. 2. part. 3. p. 544. seqq. Ut vero propriam ipsius Ignorantiam, imò maximam Jesuitæ impudentiam prodamus, demonstratu adeò difficilè non est, istam sententiam contrariari præter vocis πίστεως Etymologiam thesi primâ adductam (1) Ipsi S. Scripturæ, quippè quæ (α) Fidem per scientiam nullibi non describit, ut Esa. 53. v. 11. Job. 17. v. 3. Rom. 16. v. 25, 27. Confer Luc. 1. v. 77. Eph. 3. v. 3. Col. 1. v. 9, & 26. 1. Cor. 1. v. 24. c. 2. v. 6, 7. 1. Tim. 2. v. 4. 2. Tim. 3. v. 7. Tit. 1. v. 1. nec non (β) Fidelibus hæc attributa assignat, quod res creditas certò sciant Job. 19. v. 25. Jer. 3. v. 34. Matth. 18. v. 23. Job. 6. v. 69. Rom. 8. v. 28. 1. Cor. 2. v. 2. 2. Tim. 1. v. 12. (γ) Fideles quoque à Pseudoprophetis cavere jubet Matth. 7. v. 15. quod certè ab ignorante fieri nequit imò tandem (δ) Incredulitatem Fidei è diame- trò oppositam, Jesuitæ verbis depingit, dum ipsam vocat Ignoran- tiam Act. 17. v. 23. & 30 tenebras Esa. 9. v. 1. Matth. 4. v. 15. Luc. 1. v. 79. Joh. 1. v. 5. Cœcitatem Rom. 11. v. 25. Eph. 4. v. 18. Insipientiam & stultitiam Luc. 24. v. 25. Rom. 10. v. 19. (2) Fidei Naturæ. Af- sensus enim necessariò præsupponit notitiam. Cùm verò confi- deratio & certissima persuasio Apostolo Rom. 4. v. 19. & 21. id ap- probante, fidei competat, quomodo Fides erit Ignorantia, cùm in ignorantia nec consideratio, nec plenissima persuasio locum ha- beat. Deinde quoque Fides est ελεγχος, definiente eòdem A- postolò Heb. 11. v. 1. Atqui πίστις ἀπόδειξις est ἐκ προῦπαρχούσης γνώσεως, teste Philosophò in princ. poster. Anal. Hinc etiam Fi- dem ex præexistente cognitione esse luculentissimè apparet.

VI. Ne autem Bellarminus gratis hoc dixisse videatur, ali- quot S. Scripturæ Dicta, pro obtinendâ suâ sententiâ, hic cumulare non gravatur, quæ sub examinationis incudem laconicè revocabi- mus. Adducit vero cap. 7. d. l. p. 947. locum.

(1.) Ex Esa. 7. v. 9. Nisi credideritis, non intelligetis. Ubi vi- demus, inquit, Fidem non esse intelligentiam, sed viam & gra- dum ad intelligentiam. Resp. (α) Verba Hebræa sic habent  
וְאִם לֹא תִּימְנּוּ בְּיָמֵינוּ כִּי לֹא תִּבְנֶה לָנוּ אֵלִים  
Sinon creditis, certe (β) enim non

non causalitatis, sed certitudinis est, ut Gen. 28, v. 16. 1. Reg. 1, 13. Os. 7, v. 9. Es. 7, v. 9. Thren. 1, v. 10. Matth. 7, v. 23. 1. Joh. 3, v. 20. &c.) non manebitis. Lutherus, Bleibet ihr nicht/ so bleibet ihr nicht. Sensus est (inquit Hieron. T. 5. Oper. fol. 15.) Vos non permanebitis in regnò vestrò, sed in captivitate ducemini, sustinentes eorum pœnas, quorum imitati estis infidelitatem. (β) Enormiter peccat Bellarminus contra decretum Concil. Trident. sess. 4. ubi seriò prohibetur, ne quis quocunque prætèxtu à Vulgatà Versione latinà discedat. Illa vero sic habet; si non credideritis, non permanebitis. Quam versionem & ipsius Fraterculi non infimæ classis Pontificii, Sanctius, Hætor Pintus, Cornelius à Lap. & alii in comment. b. l. approbant, quam & nos commendamus. (γ) Si vel maximè interpretatio Bellarminiana admitteretur, attamen per intelligentiã uberior saltem cognitio mysteriorum, quæ simplicem fidei obedientiam meritò præmittit, accipienda foret. Cùm prius τὸ ὄν credamus, postea τὸ διότι intelligamus. (δ) Tandem pessimè Jesuita concludit, cùm ad nullum genus Consequentia hæc referri possit.

(2.) Allegat ibidem dicta 1. Cor. 12, v. 8, 9. & cap. 13, v. 2. R. (α) Confundit Jesuita Fidem miraculorum, cum Justificante. Non de hac, sed illà loqui Apostolum, ipse Estius, Cajetanus & Salmero Autores Pontificii in h. l. non diffitentur. (β) Distinguo inter notitiam Certitudinis, quùm rei existentia; & Evidentiæ, quùm rei Essentia, causa, & modus cognoscitur. Deinde inter cognitionem Philosophicam sive humanam, 1. Cor. 2, v. 13. quam Apostolus vocat sapientiam mundi 1. Cor. 3, v. 19. carnalem 2. Cor. 1, v. 12. & Theologicam seu Divinam, de quâ 1. Cor. 1, v. 24: cap. 2, v. 6, & 7. Tandem inter, γνώσιν seu notitiam quamcunque generalem; & ἐπιστήμην sive scientiam specialem. Hanc cognitionem accuratam per demonstrationes à priori; non illam à posteriori fidei denegari planissimum est.

(3.) Palmarium insuper putat, quod Hebr. 11, v. 1. Fides ἐλεγχῶ μὴ βλέπεμένων dicatur, & ita propter absentiam cognosci nequeat. Verùm R. (α) Non videri vel cognosci dicitur vel Absolutè quando omnis omninò; vel Comparatè, quando aliqua saltem cognitio excluditur (β) Aliud est βλέπεσθαι, aliud γνώσιναι. Licet Fides sit ἐλεγχῶ rerum, quæ non videntur, est

tamen rerum, quæ sub modo cognoscuntur, imò videntur, si non corporis & rationis, tamen fidei oculis, quam visionem Apostolus quoque 1. Cor. 13, v. 12. intendit.

(4.) Patres, quos pro se citat *Bellarminus*, non *Absolute*, sed *Comparatè* loqui, apud Orthodoxos Theologos in Confesso est. Igitur tantum abest ex hoc loco aliquid lucretur Jesuita, ut potius causæ suæ ruinosum substituat fundamentum. *Vide B. Gerbard. in LL. T. 3. p. 759. seqq. Eundem in Confess. Cath. l. 2. part. 3. de Justif. p. 591. seqq. Brochm. T. 2. Syst. Theol. de fide Justif. c. 2. quest. 6. p. 412. seqq. Chamier in Panstrat. Cathol. T. 3. l. 12. c. 6, 7, 8, 9. Polan. Syntag. Theol. l. 9. c. 6. p. m. 3732. seqq. Scharpius in cursu Theol. p. 434. seqq.*

*Nec voluntariam de Deo opinionem sive Naturalem Fidem, ut Puccius.*

VII. Tandem omnium minimè per Fidem hoc loco *Naturalem & Voluntariam de Deo opinionem* defensam imus. Quam blasphemiam plusquam Diabolicam *Franciscus Puccius Filidinus patriâ Florentinus*, peculiari scripto Goudæ impresso ebuccinare non abhorruit, cui titulus; *Affertio Catholica de Christi Servatoris efficacitate in omnibus ac singulis hominibus, quatenus homines sunt.* Ubi impius Hæresiarcha ille centum viginti rationibus audacter adstruere nititur, *Unumquemque hominem, cujuscunque sit religionis, modò homo sit, sine speciali Dei gratiâ salvari posse, modò non extremè sceleratam, & omninò beluinam, naturæ & Deo repugnantem agat vitam.* Cujus blasphema argumenta priusquam audiamus, notatu quædam dignissima præmittenda esse ducimus. Ne autem in isto commoremur, quod *B. D. Lucas Osiander in Refutatione hujus Satbanici scripti Anno 1593. edita, opinionem hanc Puccianam monstrum esse ex Mahumetismo, Judaismo, Ethnicismo, Papismo, Schvonneckfeldianismo, Anabaptismo, Calvinismo, Photinianismo, omniumq; Religionum confusione enatum, perquam solidè demonstravit;* Tantùm urgemus, istud inprimis hîc in controversiam venire; *Annotitia Dei naturalis hominibus ad aeternam salutem perducendis sufficiat.* Et; *An Fides salvifica omnibus ac singulis hominibus naturaliter insit.* Quæ *Puccius* reluctante veritate affirmare non erubescit. Quum tamen obstet.

*Puccius refutatur.*

1.) *Salutis Viæ Unitas.* Non enim in aliò aliquò salus, quàm in Jesu Christo Nazarenò. Neque aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quò oporteat nos salvos fieri, dicente Apostolo Petro Act. 4.

v.12. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me, clamat ipse Christus Job. 14, v.6. nec non Job.17, v.3. Hac est vita aeterna, ut agnoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum Filium ejus. Qui enim credit in Filium, habet vitam aeternam; qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum Job.3, v.36. 1. Johan. 5, v. 10, 11.*

2.) *Efficientis ac Perficientis Fidei Majestas.* Non enim alium habet Autorem, quam Sacrosanctam Trinitatem, Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum, *Job.6, v.29. 2. Thes.1, v.11. &c. ut cap. 2. Thesi 37. §.1. probabitur.*

3.) *Salvificae Fidei Necessitas.* Quae tanta est, ut sine illa nemo vel Deo placere *Hebr.11, v.6. vel recte agere Rom.14, v. ult. vel salvari possit Marc.16, v.16. Job.3, v.18.*

4.) *Ejusdem particularitas.* Non enim omnium est Fides, asserente Apostolo *2. Thes.3, v.2. confer Job.3, v.18.*

5.) *Naturalis Fidei nullitas.* Petro enim dicenti, *Tu es Filius ille Dei viventis*, graviter respondet Christus; *Caro & sanguis hoc non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in caelis, Matth.16, v. 16.* Exemplo sunt quoque Gentiles, approbante Paulo *Rom.1, v. 21, 22, 23. Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis; & obscuratum est insipiens cor eorum; Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum, & quadrupedum & serpentum. Confer cap.8, v.7. 1. Cor.2, v.14. item Hebr.11, v.1.* Hisce insertis, ex Rationibus Ratiocinatoris hujus infelicissimi numero plurimis, paucissimas saltem, aliqualem veri speciem praeseferentes producemus. quarum esto

1) Sufficienciam sine efficacitate Servatoris a scholis confictam, neque in rerum naturam, neque in cujusquam cordati hominis mentem cadere dicit *Paccius*, quum nihil magis ad sufficienciae veritatem requiratur, quam efficacitas, *ratione 2. R. (a) Negatur Antecedens.* Sufficiencia enim & Efficacitas considerantur vel *in se*, ut sunt idem; vel *Relate*, ut sunt diversissima. Sufficiencia enim absolute pendet a solo Deo, meritoque Servatoris; Efficacitas vero debitam requirit hominis salvandi applicationem. Hac jam re-

motâ, non statim tollitur sufficientia. (β) Sufficientiam absq; Efficacitate optimè consistere posse, inter alia, Similitudine illâ, de sumptâ à captivitate Babylonicâ & liberatione ejus, per Cyrum Regem publicis edictis omnibus Judæis quidem factâ, à multis tamen rejectâ (*Esd. 1. v. 3, 4. 2. Par. 36. v. 22.*) haut inconvenienter Orthodoxi demonstrant Theologi. Confictâ igitur propriâ nugatione *Puccius* malitiam designat egregiam.

2) Abrahamum ingenuorum fidentium Patrem naturali Fide justificatum perhibet *rat. 18. ex Gen. 15. & Hebr. 11. R.* (α) Adducta loca cuivis inspicienti contrarium monstrabunt, cum nullibi naturalis Fidei mentio injiciatur. (β) refellit idipsum Vocatio Abrahami singularissima *Gen. 12. v. 1, 2, 3. seqq.* (γ) Fidei Abrahami à Paulô tradita explicatio *Rom. 4. v. 12, 13. seqq. Gal. 3. v. 16. seqq. confer thesin 3. obj. 4.*

3) Ex Centurionis Fide à Christô *Matth. 8. v. 10. commenda- tâ*, quam naturalem fuisse autumat, quemvis aptum natum esse ad fidendum Deo ostendi asserit *rat. 43. R.* Utrumq; est falsissimum. *Prius, Fides enim quæ ex auditu Rom. 10. v. 17. & in Centurione* partim lectione, partim de doctrinâ, & signis Christi per totam Judæam famâ, accensa fuit. *Posterius* hâc ipsâ thesi ratione quintâ refutatum habebis.

4) Dominum Jesum parvulos pro fidelibus agnoscere, atque adultis ad imitandum proponere ait *rat. 46. ex Matth. 18. v. 3. Luc. 9. v. 48. Marc. 9. v. 37. R.* Distinguo inter id, quod Infantes merebantur per naturalem propagationem; & inter id, quod habebant per Regenerationem. *Non prioris*, ut naturâ erant Filii iræ *Eph. 2. v. 3. sed posterioris conditionis*, ut Regenerati erant, elogia à Christô Infantibus tribuebantur; quippè qui per Circumcisionem in fœdus recepti, fideq; donati erant. *Gen. 17. v. 7. seqq.* Deinde distinguo inter habitum malitiæ acquisitum, & carentiam hujus habitûs præcisè sic sumpti. Christus illic loci commendat parvulos à carentia acquisiti habitûs superbiæ: Inde verò non sequitur, quòd immunes sint per naturam ab omni malitiâ congenitâ; Multò minus sequitur: quòd naturaliter sciant, intelligant, credant, dogmata ad salutem necessaria.

Lucem

5) Lucem divinam, quæ Christus est, illuminantem omnem hominem in hunc mundum venientem, singulis salutariter affulgere dicit ex *Job. 1. v. 9. mat. 55. R.* (α) Non Naturalem, sed merè spirituales illuminationem hōc locō indigitari, totus contextus probat v. 4, 7, 8. (β) Illuminantur salutariter omnes homines *ratione intentionis Dei, & acquisitæ salutis; non verò ratione applicationis*, cūm propria hominum incredulitas impedimentū faciat.

6) Verba Christi *Job. 9. v. 41. Si cæci essetis, peccatum non haberetis*, satis testari, simplicem ignorantiam non esse cuiq; fraudi, nec imputari putat *mat. 58. R.* (α) Simplicem ignorantiam excusare non in totum, sed in tantum, testis est Christus ipse, qui servum ignorantem tamen castigandum pronunciat *Luc. 12. v. 47* (β) *Esse*, hōc locō pro cognitione rei poni v. 39. probatur, ut sensus Dicti sit simplicissimus; Si cæcitatem vestram spirituales agnosceretis, peccatum vobis remitteretur.

7) Cornelii Centurionis preces & benefacta naturali instinctu Deo probata fuisse censet, quamvis adhūc circumcissionis expers & Christi ignarus esset *Act. 10. mat. 62.* Hincq; Petrum divinitus didicisse, nullum hominem dicendum esse impurum & profanum; sed omnes sine personarum discrimine in omnibus nationib. Deo esse singulos acceptos, *mat. 63. R.* (α) Cornelium jam fidelem fuisse demonstrat contextus, in primis v. 2, 3, 22, 33. (β) Omnes timentes Deum ipsi acceptos esse v. 35. approbamus; Verūm num indè sequatur, quod & illi, qui rationi tantūm convenienter vivunt, Deo probentur, exindè elici non poterit.

Cæteras Rationes Puccii, non tam responsione, quàm civili correctione † dignas, cūm quivis facilè è dictis explodere possit, supervacaneâ operâ hīc supersedemus. *Uberiore tractationem tamen qui legere gestit, conferat Citatum D. Lucam Osiandrum ex professō Puccium refutantem. D. Brochm. Syst. Theol. 1. 2. de Eccles. c. 2. quest. 21, 22. nec non Franciscum Junium in refutatione ejusdem scripti Pucciani. Quibus omninò conjungi debet, Pl. Rev. & Excellentiss. D. Jacobi Martini Diss. 10. de Verbo Dei, cujus titulus, de Unâ verâ Religionē p. 335. seqq.*

† *Exustum Rome Puccium narrat Osiand. Hist. Eccl. cent. 16. lib. 4. cap. 4. p. 1100.*

VIII. Sed quia offucias, & fascinatorum glaucomata ad Veritatis solem collata, penitūs dispulsa esse arbitramur, proximū  
nunc

*Sed Fidem salvificam, Notitiã, Assensu, & Fiducia* nunc est, ut ad veram salvificæ fidei descriptionem, quatenus *Notitiã, Assensu, & Fiducia* constat, progrediamur. Licet enim illa *Formaliter* considerata, prout nempe meritum Christi fiducialiter apprehendens justificat, diversas partes non agnoscat; *Materialiter* tamen (liceat ἐν πλάτῃ ita loqui) in certas partes, seu tres diversos actus concurrentes optimè dispescitur.

*Tres Fidei Actus, quarum 1. Notitia.*

*2. Assensus.*

*3. Fiducia.*

**IX.** *Primus* hinc *Fidei actus* est ἐπίγνωσις seu verbi & voluntatis divinæ *Notitia Rom. 10. v. 14.* quæ, cum teste Scripturâ *Matth. 7. v. 21. Luc. 12. v. 47. 2. Pet. 2. v. 21. 1. Job. 2. v. 3, 4.* non sufficiat, accedit *Secundus Actus*, qui est συνκατάθεσις, sive firmus ac indubitatus noti jam verbi & voluntatis Dei *Assensus*, quare etiam *Fides ἐλεγχῶ μὴ βλεπομένων* nominatur *Hebr. 11. v. 1. conf. Rom. 4. v. 18. Jac. 1. v. 6.* Fidem porro salvificam nec hōc Assensu omninò absolvi, indè planum est, quod ipsis quoque Dæmonibus & impiis competat *Jac. 2. v. 14. Luc. 12. v. 47. Tit. 1. v. 16. Matth. 7. v. 23.* adeoq; Assensum excipit *Tertius Actus*, qui est πρὸς δεῦμα ἡ λυψυδοοία seu *immota cordis Fiducia*, gratiam justificantem Christi meritò omnibus partam, & credentibus conferendam individualiter approprians; quod vel ipsum vocabuli ἔτυμον thesi primâ notatum suppeditare potest. Nec destituimur aliis scripturæ locis, quibus idipsum confirmatur. Dicitur enim παρρησία, libertas sine omni metu & dubitatione. *Eph. 3. v. 12. 1. Job. 2. v. 28. cap. 3. v. 21. cap. 4. v. 17. cap. 5. v. 14. Hebr. 3. v. 6. cap. 4. v. 16. cap. 10. v. 35. ὑπόστασις*, solida consistentia *Hebr. 11. v. 1. πληροφορία*, firma persuasio *Rom. 4. v. 21. Col. 2. v. 2. Hebr. 6. v. 11. cap. 10. v. 22. πεποίθησις*, prima fiducia *2. Cor. 3. v. 4. Eph. 3. v. 12. Phil. 3. v. 4. ἰσχυροσύνη*, Confidentia, *Job. 16. v. ult. Matth. 9. v. 2, 22. καύχησις*, gloriatio *Rom. 5. v. 2.* Plura notavit *B. Chemnit. in LL. part. 2. de Justif. p. m. 265. seq.* Hos tres *Fidei Actus* ab ipsō Salvatore adductos legimus *Job. 14.* Ubi inquit *v. 10. Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est* (loquitur cum primis de notitiã) *v. 11. Credite mihi, quia ego in Patre, & Pater in me est*, (de Assensu, qui Christi verbis præberi debuit) *vers. 12. Amen, Amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet.* (de Fiducia, quâ in Christum creditur) Quorum priores duo actus ad Intellectum, posterior ad Voluntatem pertinent. In quibus insuper *Actus Primus* opponitur Ignorantiæ Gentilium *Esa. 65. v. 1.*  
*Actus.*

*Act. 17. v. 30. Rom. 15. v. 20. Secundus Impietati Prophanorum, & Hæreticorum Veritatem revelatam pro Fabulâ habentium, Act. 17. v. 18. 2. Pet. 3. v. 3, 4. Tertius Fidei Historicæ fiduciâ carenti, quam in ipsos quoque Diabolos cadere paulò ante probavimus.*

X. Quanquam verò hîc Thematis nostri explicationem statim annectere possimus, ipsa tamen instituti ratio exigere videtur, prius ut demonstremus (I.) RESPECTU NOTITIÆ, *quatenus ea, & in quantum ad salutem necessariò requiratur.* (II.) RESPECTU OBJECTI, *Quinam Articuli omnibus ac singulis hominibus simpliciter creditu necessarij sint, & quibus destitutis, nemo salutis aeternæ particeps reddi possit.* Quia verò altioris hæc indaginis sunt, inoffensò pede me progressurum judico, si Orthodoxorum Theologorum, ac Præclarissimorum Præceptorum meorum vestigia pressè secutus, ὡς ἐν παροῦσα ea breviter attigero.

XI. *Quoad Primum, quatenus nempe, & in quantum Notitia ad salutem requiratur,* tanquam indubitatum, ac *thef 5.* solidè probatum, hîc præsupponimus, Notitiam Fidei salvificæ absolute necessariam esse; cùm & ipsius Dei mandatum, & S. Scripturæ testimonium, omniumq; Fidelium Exemplum hoc ipsum nobis reddat firmissimum. Licet enim credenda mysteria naturaliter in causis & proprietatibus suis ab homine animali cognosci nequeant *1. Cor. 2. v. 14.* attamen necessum est, adultum crediturum primum omnium nosse verbum Dei, cui credendum est. *Fides enim ex auditu, auditus per verbum Dei Rom. 10. v. 17. Quomodo autem credent ei, de quò non audierunt v. 14.* Hinc juxta modum ordinarium & fidelibus communem Notitia certa veritatis credendæ, religiosè atque accuratè exploratæ, *An verè sit verbum Dei, aut consentiat cum S. Scripturis,* extra quas nihil nobis ad salutem credendum est, præcedat oportet. Inprimis autem hoc probè attendendum existimo, *Notitiam aliam esse τὸ ὄτι,* quæ rem vel per testimonium, vel per experientiam simpliciter esse tenet; *aliam τὸ διότι,* quæ rem, causam, & modum per ratiocinationem apprehendit. Quæ differentia apparet facillimè, si Plebeium cum Eruditò, vel Empiricum cum Medicò experientissimò compares. Ille quidem medicamenta ægrotis adhibere novit optima & saluberrima, sed causam ac rationem virtutis medicamentorum planè nescit; quippè, quæ illi

*Quatenus & in quantum Notitia ad salutem necessaria?*

tantum cognita ac perspecta esse potest, qui istam multo labore ex Hippocratis, ac aliorum Autorum scriptis sibi comparavit. Quod enim vulgus artificum experientiam tantum, id Eruditus ac Disciplinis excultus accuratissimam ratiocinatione simul cognoscere satagit. Quoniam vero Fides absque cognitione τὸ ὄτι dari nequit, de altera τὸ διότι planè non est ignorandum, *Dogmata Fidei Christianæ alia esse Prima; alia à primis deducta.* Illa tanquam Principia ab aliis Dogmatibus non pendent, sed ab iis alia pendent, & non nisi per cognitionem τὸ ὄτι ex testimoniò divinò sciri possunt; Quæ autem Dogmata à primis deducuntur & pendent, ea utroque modo sciri possunt. Nam & esse constat ex testimoniò vel Scripturæ, vel Ecclesiæ; & causa, cur sint, habetur ab ipsis Dogmatis, unde pendent. Quæ tamen notitia τὸ διότι in illam priorem τὸ ὄτι resolvitur. Quia hæc non nisi à primis Dogmatis, neque hæc Dogmata iterum, nisi ab autoritate divinâ haberi possunt. Deinde quoque *diversissima ratio venit habenda Infirmorum, sive Incipientium, Infantium more lacte opus habentium; Et Robustiorum sive Provedtorum, utraq; prima Elementa progressorum.* Itemque *Pastorum & Auditorum.* In Pastoribus, quorum est populum Informare, utique clarior & illustrior Articulorum notitia esse debet; At v. Auditoribus, & præsertim plebeis ac simplicibus, ratione objectorum parcius, ratione modi obscurior, & tenuior notitia sufficere potest, uti vel ipsi Apostoli mysterium Mortis & Resurrectionis, itemque statum Regni Christi, initio distinctè non cognoverunt: multi quoque BB. Patrum propter prædictionum ante complementum obscuritatem, veram de AntiChristò doctrinam nesciverunt. Sic licet sublimes illæ Controversiæ, de Sp. Sancti processione, de Idiomatum Communicatione, aliæque similes cognitionem Rusticorum, aliorumque Plebejorum omninò fugiant; propterea tamen è regnò cælorum illos eliminari putandum non est, modò absolute necessaria illis perspecta sient. Notitiæ enim gradus uti libentes admittimus, ita illos totam fidei speciem variare inficiamur. *Vide si placet D. Sigwartum in Antipar. p. 110. seqq. Confess. Cathol. B. Gerhardi l. 2. part. 3. art. 23. de Justific. p. 591. Chamier in Paustr. Cath. T. 3. l. 12. c. 5. p. 186.*

XII. Explicatâ sic Necessitatis Notitiæ qualitate, operæ precium quoque erit expendere *Alterum*, scilicet *Respectu Objecti*, *Quinam Articuli omnibus ac singulis hominibus absolutè ad salutem creditu necessarii sint*. Hoc antequam distinctè à nobis fiat, ipsum structuræ hujus fundamentum advertendum omninò est, de quò Apostolus *Eph. 2. v. 20. Superedificati, inquit, (estis) fundamento Prophetarum & Apostolorum, existente lapide ejus angulari Jesu Christo*; haut obscure innuens, *Objectum Fidei Materiale* totam S. Scripturam à Prophetis & Apostolis traditam; *Essentiale* verò Christum esse. Quam explicationem idem suppeditat Apostolus *1. Cor. 3. v. 11. Fundamentum aliud ponere nemo potest, præter id, quod positum est, quod est Jesus Christus, lapis ille angularis ab omni æternitate à Deo positus Esa. 28. v. 16.* Quò respiciens Salvator ipse ex Petri confessione oblatâ occasione, *Tues, inquit, Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalent adversus eam Matth. 16. v. 18.* Hæc Fides, ut sibi semper est consona, quia partes eam integrantes inter se consonant, *Job. 17. v. 17. Actor. 26, v. 22.* imò sufficiens est ad finem propositum consequendum *2. Tim. 3, v. 17. 1. Petr. 1, v. 9.* ita immobile & adæquatum Objectum habet, cui firmiter innitur, & in quod ultimè resolvitur *Hebr. 13, v. 8.*

*Quinam Articuli creditu sint necessarii.*

XIII. Licet n. tota S. Scriptura ad doctrinam & institutionem nostram revelata sit, *Rom. 15, v. 4. 2. Tim. 3, v. 16.* attamen quædam Doctrinæ capita, ut magis necessaria, propius ad fidem generandam, sustinendam, ac conservandam accedere, quædam remotiora esse, nemo sanæ mentis inficias ire poterit. Hinc ultrò sequi planissimè est, *Dogmata sive Articulos Fidei aut esse Fundamentales; aut non Fundamentales. Fundamentales iterum esse vel Primarios, qui absque salutis naufragio non ignorari; vel Secundarios, qui salvâ fide & salute quidem ignorari, non tamen negari possunt. Non Fundamentales verò, qui salvâ fide & ignorari & per puram ignorantiam (abstractâ opinione de dogmate opposito vel disparato) negari possunt. Vide hæc de re eruditè differentem, Theologum celeberrimum, & de Ecclesiâ optimè meritum, Dn. D. Nicolaum Hunnium in Διακρίσει p. 37. seqq. confer etiam D. Sigwartum in Anti.*

*Articuli Fundamentales qui.*

*Pronunciata generalia.*

*par. p. 101. seqq.* De his jam statim acturi generalia quaedam pronuntiata omnibus credituris applicabilia præmittemus.

XIV. (1) *Omne Fidei Dogma, quò homo salvandus sine salutis dispendiò destitui haut potest, omnibus omninò hominibus, omni tempore quoad substantiam suam credendum est.*

Ratio hujus Pronunciati hæc est, quia Religio post lapsum una est, VERBUM DEI, unum illud necessarium *Luc. 10, v. 42. Psal. 86, v. II. Unus Deus, unus & Mediator Dei hominum 1. Tim. 2, v. 5. Unus Dominus, una Fides Eph. 4, v. 5.* Confirmationem hujus sententiæ, non meis, sed *Pl. Rev. & Excellent. D. Wilhelmi Lyseri, Præceptoris optimè de me meriti, verbis conceptam annexere placet, qui in Disputatione solenni, de verâ Religione Primi Mandi usq; ad Abrahami tempora, Anno 1635 habita, Thesi 22. ex tribus locis Actuum Apostoli eorum triplicem hunc necit funiculum,*

*Quicumque alias salutis vias excludunt, unicam viam omnibus communem faciunt, & per distributionem illos, de quibus questio, includunt; illi eosdem cum reliquis unâ viâ salvari statuunt.*

*Atqui Apostoli prius faciunt.* Nam (1) contrarii Exclusiva habetur *Act. 4, v. 12.* (2) Universalis affirmativa *Act. 10, v. 43.* (3) Specialis distributiva *Act. 15, v. 10, 11.* Ergò. plura ibidem.

Quo ipsò tamen illud accidens Verbum DEI, quatenus literis consignatum est, omnibus credentibus semper & ubique commune non tribuimus, quum & Patres ante Mosen, absq; verbò scriptò, vel per immediatam revelationem, *Gen. 12, v. 1, 2. seqq.* vel per miracula *Exod. 3, v. 2. c. 4, v. 3. seqq.* fidem conceperint, sive conceptam confirmarint & etiamnum quis, qui vel in agone cum Latrone convertitur, *Luc. 23, v. 4. seqq.* vel cum Corinthiis primùm fiduciam in Christum prædicari audit *1. Cor. 1, v. 23, 24.* id in S. Scripturis esse revelatum, ignorare possit; sed causam materialē omnibus fidelibus competere, licet non iisdem sedibus dispositam adstruimus.

XV. (2) *Quaedam Dogmata per se ad fidem salvificam consequendam necessaria non viden-*

*tur, quæ tamen ob arctissimam conjunctionem sine salutis dispendiò ignorari nequeunt.*

Ejusmodi est mysterium Trinitatis, cujus notitia quamquam ad excitandam in Christum fiduciam non necessariò requiri videatur, id ipsum tamen cum eadem ita conjunctum est, ut nisi simul credatur, salutis naufragium timendum fiet. Cùm ipsam Scripturam habeamus testem, eum, qui non habet filium, nec habere patrem *Job. 8, v. 19. 1. Job. 2, v. 23.* qui non habet spiritum Christi, ejus non esse, *Rom. 8, v. 9.* Talia quoque sunt pleraque alia mysteria. Secus tamen de miraculis & Historiis, quæ extra salutis jacturam ignorari possunt, omninò statuimus, ut sunt Diluvium, Excidium Sodomorum, Nuptia Samsonis &c.

XVI. (3) *Quæ Dogmata Fidem immediatè non constituunt, nec eadem ratione ei substant partim ignorari possunt, partim hypotheticè saltem admitti debent, nihil eorum, quæ quocunque modò sub aliquâ necessitate requiruntur, negari.*

Exinde patet, *Φιλανθρωπίαν* Dei, meritumq; Christi, hisq; immediatè substantem Essentiam, & Christi divinitatem, quæ medulla fidei sunt, exactè sciri, firmissimè credi oportere; utpote ex quorum notitiâ Fides fit & generatur; Cætera vero, ista mediatè saltem attingentia, ad præcavendum opiniones Fidei contrarias, simplici ignorantia nesciri, non autem per contrariam assertionem negari posse. Ubi tamen *Ignorantiam non affectatam, sed simplicissimam, eandemq; talem intelligimus, quæ ex simplicitate etiam contrarium veritati non approbet, quod quidem veritati contrarium fuisse, ignorans melius et doctus ipse non diffiteatur.* Quare non satis accurata videtur esse Vulgaris illa distinctio inter ignorantiam simplicem & maliciosam. quàm hæc rectius subdola negatio, & voluntarius error, quàm ignoratio appelletur. De quâ ex *B. Augustinò* non incommodè *Gratianus Dist. 37. cap. ult.* inquit; *Non omnis immunis est à pœnâ; ille enim ignorans potest excusari à pœnâ, qui quod diceret, non invenit. Illis autem hoc ignosci non poterit, qui, à quò discerent, habentes, operam non dederunt.*

XVII. (4) *Non omne Dogma, quod Fidei necessario præsuppositum aliquod, aut consequens adstruit, vel destruit, idem in singulis hominibus efficit.*

Distinguiamus enim Seductos & Dociles à seductoribus & Pertinacibus. Conscientiam tranquillam ab Inquietâ. ἀπειρεσίῃς à tentationum fluctibus exercitatis. Et Denique ἀνεγκλίῃς à Perseverantibus. Quibus probè distinctis res labore non ita multò expediri poterit. *Quæ omnia accuratissimè expensa dedit Pl. Reverendus & Excellent. Dn. D. Præses, Patronus ac Præceptor meus devotè colendus, in Disputatione peculiari Anno 1627 impressa de Dogmatis ad salutem creditu necessariis, thesi 9. seqq.*

*Specialis Articulorū seu Dogmatum enumeratio, 1. Dogmata Fidem immediatè constituentia.*

XVIII. Generalioribus ita præmissis: Objectum per singula Fidei Dogmata nunc speciatim ponderandum restat. Ne autem res hæc gravissima, imò intricatissima, Lectoris perturbet animum ductum, Præclarissimi Præsidis secutus expendam (1) *Adequatum Fidei Objectum.* (2) *Fidei Principia.* (3) *Ejusdem Consectaria.*

XIX. *Adequatum Fidei Objectum*, seu Materia ex quâ, quænam sit; vel ut clarius dicam; Quid scilicet ad salutem creditu necessariū sit, ita, ut id unò intuitu intellectus præsens habeat, Assensus ratificet, Fiducia suum faciat, sicq; Fidem Essentialiter & intrinsecè constituat, melius cognosci posse non existimo, nisi habitâ ratione eorum Dogmatum, ex quibus Fidei justificantis Definitio constituitur. Iis enim expositis, cuncta evadent manifestiora.

XX. *Est autem salvifica Fides indubitata cordis fiducia, quâ peccator certò statuit, quod Deus ex merâ misericordiâ sibi propter Christi meritum peccata remittere, vitamq; æternam donare velit.*

XXI. Quâ in definitione quinque inprimis notanda veniunt, (1) *Quis?* Deus, *Jes. 43, v. 25. Rom. 4, v. 20, 21, 24.* (2) *Quid?* Misericordia ejus *Rom. 11, v. 32.* (3) *Propter Quid?* Christi meritum,

tum, *Act. 4, v. 12. Rom. 4, v. 25. Gal. 4, v. 4, 5.* (4) Cujus? Mei in Individuò, *Gal. 2, v. 20. 1. Tim. 1, v. 16. 2. Tim. 1, v. 12.* (5) Ad Quid? Vitam æternam. *Job. 3, v. 16. Tit. 3, v. 7. 1. Petr. 1, v. 9. Consuetudines ex Pontificiis vide apud B. Gerhard. in Confess. Cathol. l. 2. part. 3. art. 23. c. 2. p. 614. seqq. B. Menzerum Diss. Antipist. 5. item Exeg. A. C. art. 4. p. m. 167. Ex Calvinianis apud D. Hunnium in Διασκ. p. 29. seq.*

XXII. *Primum* igitur *Fidei Essentiale constituens Deus indigitatur*, ἐν πλάτει ut ὦν, & εἰδικῶς ut JEHOVA consideratus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, à quò gratia speratur. Sub hoc conceptu omninò oportet Dogma SS. Trinitatis comprehendi à fide hominis justificandi, etiamsi definitionem essentiali, ejusq; differentiam à personâ, distinctamq; characterum personalium differentiam ignoret. *Job. 4, v. 22.*

*Secundum* est *Dei Φιλανθρωπία*, aliàs *Voluntas Antecedens* dicta, quâ totum genus humanum in peccata prolapsum per Redemptorem salvare seriò intendit, per dicta *Gen. 3, v. 15. cap. 12, v. 3. Ezech. 33, v. 1. Ose. 11, v. 8. 1. Tim. 2, v. 4. 2. Pet. 3, v. 9.* adeò ut ob id in admirationem ipsi ducantur Apostoli *Job. 3, v. 16. Rom. 5, v. 8. 1. Job. 3, v. 16.* Atque hæc *Φιλανθρωπία* Dei profundissima per applicationem in Individuò Crediturò fiduciam gignit certissimam. Quam Voluntatem Antecedentem & Universalem excipit *Conditionata*, seu *Consequens*, quâ Deus certò & ordinariò modò tantùm credentes salvare constituit *Job. 3, v. 16.* quæ nec ignorari, nec negari potest.

*Tertium* est Christi Meritum & Satisfactio, quam Universalem, omnibusq; ac singulis, ne unicò exceptò, sufficientem esse, crediturus certò sibi persuadeat; ita tamen, ut non nisi ob intuitum ipsius meriti æternam felicitatem homini contingere, nec persolutionem, nisi propter solam Dei misericordiam, à Christò factam esse cognitum habeat. Quæ totum Christi Sacerdotale officium complectitur. Etenim non tam, quod Deo satisfactum, quàm à quò, & quò pacto factum sit satis, fidei oculis expositum esse decet. Quare necessarium planè est, Crediturum præcisè nosse

(1) *Personam*, quæ pretium exsolvit, esse θεάνθρωπον, Deum & hominem, Eumq; qui Deus erat, hominumq; peccata expiare debebat, de exertione Majestatis suæ paululū remisisse, & ne peccatorum mole suppressus videretur, emersum, de peccato ac morte

trium-

triumphum egisse, suosq; potenter liberasse. Quò in punctò notitia generalis de veritate satisfactionis qualis Patribus in V. T. quoque concessa fuit, sufficit.

(2) *De Merito non ignorandum*, Christum propter nostra peccata in mortem traditum, & propter justificationem nostram excitatum fuisse *Rom. 4, v. 25*. Hoc Christi meritum, cum duos in se comprehendat actus, & *Obedientiam Activam*, Legis nempe implementationem, de qua *Matth. 5, v. 17. Gal. 4, v. 4, 5. & Passivam*, peccatorum, expiationem, *1. Petr. 2, v. 24. Job 1, v. 29. Matth. 20, v. 28*. Utramq; eòdem fiducia còceptu, saltem hypotheticè per exclusionem contrarii, comprehendere Crediturum oportet. Crux enim Christi continet Evangelii summam, juxta sententiam Apostoli *1. Cor. 1, v. 23, 24*. quæ & unica gloriatio Christianorum manet *Gal. 6, v. 14*. Inprimis vero & hoc advertendum; Fiduciam in Christi meritum adæquatè & tantum ita reflecti, ut nisi omnia, quæ præterea mentem subire possunt, excludat, nulla sit: *Rom. 3, v. 24, 25*. Adeoq; hæc demum de Personâ & Meritò Christi confidentia, lapis angularis est benè fundatus, cui tota fidei structura firmiter insistere & acquiescere potest *1. Cor. 3, v. 11. 1. Petr. 2, v. 6*. Eundem vero sensum de his Patres quoque Ante & Postdiluvianos tenuisse, egregiè demonstravit *Pl. Rev. & Excell. D. Lyserus in Diss. modò laudatâ, thesi 39. item in Alterâ Anno 1640. habitâ, de Verâ Relig. Abrahamit. usq; ad Mosi tempora, thesi 16*.

*Quartum est fiducialis Meriti Christi specialissima apprehensio, & Individualis applicatio*. Fides namq; non inanis illa opinio, aut Enthusiastica persuasio, sed firmissima fiducia Petræ verbi in nixa aliter nec concipi, nec concepta cognosci potest, quàm ex speciali hâc subsumptione, suiq; appropriatione. V. g. Deus vult omnes homines salvos fieri, quam gratiam etiam Christus omnibus impetravit. Hinc subsumit quivis fidelis Auditor; Ego sum homo. Ergò Deus etiam me vult salvum fieri; Ergò & mihi omnia peccata per Christum remissa erunt. Et hæc appropriatio conscientiam tentationibus agitatam, quietam, tranquillamque reddit. Quam insuper sancta Scriptura commendat, sanctorum Exempla comprobant, *2. Cor. 3, v. 4. Eph. 3, v. 12. Phil. 3, v. 14. Rom. 4, v. 12,*

4, v. 21. Hebr. 6, v. 11. c. 10, v. 22. Matth. 9, v. 22. Job. 16, v. 33. Phil. 3, v. 12. Hebr. 11, v. 11. Rom. 4, v. 18. Matth. 15, v. 28.

Quintum & ultimum, quod Fiducia unô eodemq; actu concipit, est *Vita æterna* 1. Pet. 1. v. 9. ne Fides salvifica suô privetur fructu & scopô.

XXIII. Atque hæc Dogmata sunt, quorum tum intrinseca cognitio, tum extrinseca professio in quôvis Crediturô simpliciter & absolutè requiritur, & quibus destitutis prorsus nemo æternam salutem sibi polliceri potest. Alia sunt, quæ etsi immediatè Fidem non constituent, Credituro tamen cognitu necessaria sunt, quatenus ad fidem faciunt vel tanquam *Presupposita*, vel tanquam *Consequentia*. Quorum enucleatio & declaratio, quamvis captum meum excedere videatur, & quemlibet hîc suô abundare sensu nō nesciam; attamen exercitii gratia, juxta normam Præclarissimorum Theologorum eadem si subjecero, facilè veniam me impetraturum confido.

XXIV. *Principia* igitur, seu *Presupposita*, quæ ex natura rei faciunt ad fidem in Credituris generandam, vel etiam confirmandam, si oppositum urgeat, sequentia ponimus

2. *Principia*  
seu *Presupposita*.

(1) *Indubitatum Dei Verbum*, & quicquid creditu necessarium est, ex solis Prophetis & Apostolicis scriptis hauriendum esse. 1. Cor. 13. v. 8. Gal. 1. v. 8.

(2) *Deum esse*, & quidem remuneratorem quærentium se Hebr. 11. v. 6. Eundemq; esse

(a) *Misericordem*; ne primô lapide fundamenti destructo, ipsa Fidei structura penitus evertatur & collabascatur, Deusq; Tyrannus proclametur, contra Exod. 34. v. 6. Num. 14. v. 18. Psal. 103. v. 8. seqq.

(β) *Veracem*; ne promissionum certitudo reddatur dubia, contra Num. 23. v. 19. Ps. 33. v. 4. Ps. 146. v. 6. Rom. 3. v. 3. Hebr. 6. v. 18.

(γ) *Scientem*; ne benefica ejus affectio, & specialis amor, quô complectitur singulos credentes, ignoratâ hâc Dei scientiâ, prorsus vilescat, nec Providentiâ Dei sublatâ Epicureismus enascatur & suppullulet, contra Psal. 139. v. 2. Proverb. 15. v. 3. Syr. 23. v. 27, 28. cap. 43. v. 18.

D

Poten-

(δ) *Potentem*; ne fiducia concepta rei promissæ & speratæ ob impotentiam evanescat, *contra Rom. 16. v. 25. Epb. 3. v. 20. 2. Tim. 1. vers. 12.*

(ε) *Æternum*, prout tam *Essentia*, quam *Voluntatis immutabilitatem* subinfert, & cum *veritate Dei* fermè idem est; ne misericors Dei *Voluntas* perpetuò duratura violetur, *contra 1. Tim. 1. v. 17.*

(ζ) *Sanctum*, vocabulò sanctitatis abstractè acceptò, quatenus scilicet religiosum de Deò importat sensum, & cum *Essentiali Dei nomine* JEHOVA convertitur; *Jes. 1. v. 4. cap. 6. v. 3. Ps. 71. v. 22. &c.* ne hanc negandò, vel ignorandò Deum ipsum negemus vel ignoremus.

(3) *Tres esse distinctas Personas Trinitatis*, nempè Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: ne is negetur Deus qui tamen est Deus verus. sicq; objectum fidei *Essentiale* omninò abjiciatur, *vide tb. 15.*

(4) *Personam Messie seu Salvatoris* (1) *Certò esse promissam*, vel in V. T. exhibendam, vel in N. T. exhibitam. (2) *Eam divinam & humanam naturam constare.* (3) *Easdemq; divinam & humanam naturas sic unitas esse*, (liceat hinc Verba Formulæ Concordiæ p. 763. mea facere) *ut post factam incarnationem non quilibet natura per se subsistat, aut utraq; sit persona separata, aut quod utraq; personam singularem constituat, sed quod unicam personam constituent, in quâ simul personaliter ambæ, divina & humana natura assumpta unitæ sint & subsistant, ita quidem, ut quemadmodum sine divinitate, sic sine humanitate persona Filii Dei incarnati non sit integra.* Quibus *Nativitas* ipsius, quod quidem à Virgine, sine omni labe conceptus nasci debuerit, addi debet, licet conceptionis modus, qui ex S. Scripturis tantùm innotescit *Luc. 1. v. 35.* adeò exactè cognitus non sit.

(5) *Peccati fœditatem in se, & ob id se pœnæ obnoxium agnoscere*; ne hoc ignoratò Christi meritum peccati expiatorium habeatur irritum, totumq; Fidei destruat fundamentum, *Gal. 5, v. 2. c. 2, v. 21.*

(6) *Libertatem in spiritualibus nullam esse*; ne ignoratò morbo Medicus proscribatur.

(7) *Pœnitentiam*, ut medium consequendæ salutis prævium, Crediturum scire oportet; ne Christi mandatum eandem prædicandi gratis datum existimetur, *Luc. 24. v. 47. Marc. 1. v. 15. cap. 6. v. 12.*

*Resur.*

(8) *Resurrectionem Mortuorum certo futuram esse*; ne animæ immortalitate simul negatâ, magna securitas invehatur, homoq; tota fide privetur.

(9) *Judicium Extremum*, utpotè gentibus ex sensûs dictamine non planè incognitum, ne securitate invecâ Christi meritum prorsus eludatur.

(10) *Æternam Felicitatem, sive Beatitudinem*, ratione Durationis, ne Crediturus juxta Apostoli pronunciatum *1. Cor. 15. v. 17. seq.* omnium hominum miserrimus esse putetur.

XXV. Hæc ita *Principia* sunt, quæ in Crediturò ad Fidem generandam necessaria arbitramur, Jam quoque *Consecraria* pro-  
ducere annitemur, quibus Credentem & Fidelem imbutum esse oportet, ne iis sive in Praxi, seu Theoriâ negatis, Fiducia concepta & tenera, aliàs roboranda & conservanda, à posteriori rursus destruat, & prorsus evanescat. Quorum sequentia notamus (1) *Ex Idiomatis Dei Fidelis credat oportet* (α) *Deum esse Æternum, respectu deficientis inirii durationis*; ne spes gloriosæ cum Deò habitationis infirma fiet.

3. *Fidei Consecraria.*

(β) *Sanctum, relativè quoad nos*; ne Credulus ex unctioe per verbum collatâ judicare desinat, suum hoc munus esse proprium, ut sanctitate naturam Dei imitetur, *Rom. 12. v. 2. Eph. 1 v. 4. 2. Tim. 1. v. 9. 1. Pet. 3. v. 15. 1. Ioh. 3. v. 3.*

(γ) *Justum Vindicem*; ne Fidelis vel securus fiat, vel sub crucis onere succumbat, nec semper eandem fortunam & pios & impios mansuram sibi persuadeat, *2. Thess. 1. v. 5.*

(2) *Idiomatum ac ἀποτελεσματῶν in Christò Communicationem*; ne collapsò Consequente Antecedens quoque (Unio nempè personalis) tollatur, unus Christus dissolvatur, totum ejus officium planè rejiciatur. Si tamen intellectûs imbecillitas hanc consecutionem formare nesciat, Unionem verò concedat, nec consequens impugnet, salvandorum Albo expungendus non fuerit.

(3) *Officium Christi* (α) *Prophecticum*, quod scilicet Verbi Ministerium ad Incredulorum instructionem, & Sacramenta ad Instructorum confirmationem instituerit, quod de Adultis accipiendum; ne fides corroboranda infirmetur, nec à posteriori fidei organa, eorumq; efficacia tollantur. Infantibus enim non cogi-

tantibus Baptismum conferri posse, nemo it sanus inficias. (β)  
*Regium*, quod Christus scilicet ad id mortuus sit, & resurrexerit, ut  
vivi & mortuis dominaretur *Rom. 14, v. 9.* Deinde redemptos tue-  
atur & salvet, quod nec Patres omninò latere potuit, ne regimen  
Ecclesiæ Christo denegetur.

(4) *Ecclesiam verè in terris haberi, ejusq; insignia esse privilegia.*  
Certum enim esse oportet, eam esse Ecclesiam, quæ juxta normam  
verbi divini doceat & vivat; nec eandem vel verbis, vel factis ob  
divinæ promissionis veritatem, nunquam defecisse, nec totam  
deficere posse; ne lubrico fundamento innitens seipsum à Capi-  
te Christo, ut membrum putidum averruncet

(5) *Scripturam Sacram efficax conversionis medium per Spiritus  
Sancti operationem esse;* ne heterodoxa de Ministeriò verbi opinio  
incrustetur, mediumq; conversionis & confirmationis infide ordi-  
narium, ineptum efficiatur.

(6) *Baptismum, vi institutionis Christi, ordinariè per Ministrum  
factà immersione, & Trinitatis invocatione, Baptisatis credentibus, &  
obicem non ponentibus conferre regenerationem, iisq; gratiam ob signa-  
re* *Joh. 1, v. 23, 26, 33. Joh. 3, v. 5. Tit. 3, v. 15. 1. Petr. 3, v. 21. Eph. 4, v. 5.*  
ne hoc negandò seipsum regeneratum neget.

(7) *Panem consecratum in Canà Dominicà esse communicatio-  
nem Corporis Christi pro nobis in mortem traditi; Vinum benedictum  
esse communicationem sanguinis in remissionem peccatorum nostro-  
rum fusi,* *1. Cor. 10, v. 16. Matth. 26, v. 26. & 28.* ne Christo veritas  
detrahatur, insipientia tribuatur, potentia denegetur.

XXVI. Hæc ita sunt, quæ de Articulis creditu vel absolu-  
tè, vel si dubitatio moveatur, necessariis, salvâ cujusvis autoritate  
proferre animus fuit. Plura autem esse neque ignoranda, neque  
omittenda & in Praxi, & ad objectiones Adversariorum solven-  
das, juxta S. Scripturæ mentem *Hebr. 5, v. 11, 12. seqq. c. 6, v. 1, 2, 3.*  
*Gal. 5, v. 2. seqq.* gratis largimur. De his qui plura vult, consulat.  
*Pl. Rever. Excellent. D. Præsidentem in Dissput. modò laudatâ. nec non  
Breviarii Theologici caput 17. de Ecclesiâ Synteticâ thesi 2. & 14. ut  
& D. Hunnium in Διασκ. pag. 163, seqq. & pag. 265. seqq. Quibus  
adjungat D. Sigwartum in Antipar. p. 101. seqq. D. Hutterum in Iren.  
hinc inde.*

XXVII. Sed jam ex diverticulô in viam redeamus, visuri, quid nomine *Simplicitatis* veniat. Equidem non *Metaphysicam* *Entis Affectionem, Composito oppositam* intendimus; neque *denominationem* *Quantitatis*, quod qui pauca credat, optimè credat, defendimus; multò minus *simplicitatem vel stupiditatem* *Afininam* propugnamus; Sed *Qualitative & Normaliter simplicitatis vocem* hoc loco explicamus, quod simplex nempè apprehensio, simplex assensus, dubitativo & scrupuloso oppositus & simplex fiducia vacillanti opposita, sit optima. Velut ipsius Salvatoris, accuratissimi ac fallere nescii Doctoris nostri verbis rem describamus, simplicitatem columbinam *Matth. 10, v. 16.* seriò commendatam & nos commendamus, quæ est ἀνὰ δόλῳ καὶ ἀπάτης, quâ homo regeneratus purissimâ simplicitate, absq; ullâ suspitione dubii, & vanâ rationis persuasionem, soli verbo divinô revelato innititur, seductionis periculum pensi non habens, sed certò statuens, sibi viam salutis in verbô divinô fideliter monstrari.

Quod nomine Simpli-  
tatis veniat?

XXVIII. Atque hætenus, quæ ad nostram assertionem necessaria visa sunt, paulò fusius adduximus, reliquum nunc est, ut ad illud, quod restat, progrediamur, & nostram sententiam deinceps probemus ac confirmemus. *Fidem igitur Simplissimam Fidem optimam dicimus* 1. *Respectu Notitiæ & Assensus*, & quidem (a) *Quæ in tremendis mysteriis, & tantùm credendis, citra scrupulosam inquisitionem, vel rationis consultationem native simplicitati verbi divini in Scripturis patefactæ inhaeret*, juxta dicta *1. Cor. 10. v. 5. Esa. 8. v. 20. Joban. 8. v. 31. Gal. 6, v. 16. 2. Petr. 1, v. 19.* Quum enim nullum periculosius Fidei impedimentum reperiat, quàm rationi congenitæ, aut sensuum judicio committere judicium de credendis, quis rationem captivandam esse non consultius ducat.

Fides Simplissima dicitur optima  
1. Respectu Notitiæ  
(a) quatenus citra rationis inquisitionem soli verbo inhaeret, contra Calvin. & Photin.

XXIX. Quod meritò contra *Calvinianos*, nec non *Photinianos* simul notamus, qui hæc unicâ ac simplicissimâ Fidei normâ haut contenti, rationis quoque principiis Fidei Dogmata faciunt obnoxia & exponunt. Ex densissimô testimoniorum nu-

D 3

mero

merò unicum *Vedelii*, Calviniani haut postremi, sufficere poterit. Hic enim lib. 1. in *Ration. Theol. c. 6. p. 52.* sic ait; In *Controversiâ de cœnâ* queritur; *Anne corpus Christi corporaliter sit in Cœnâ, seu, in cum & sub pane?* Nostri negant, tum iisdem argumentis, quibus ubi-quitas oppugnatur, tum etiam hoc; *Verum & naturale corpus non potest esse in, cum, & sub pane.* Christi corpus est verum. Ergò. Major ex lumine natura patet, qua docet, omne corpus naturale habere actua-lem extensionem & situm partium inter se, ita, ut ubi una sit, altera esse non possit. Et quæ sunt alia axiomata, & principia rationis, quibus absurditatem dogmatis illius in lucem protrahimus. Confer *Orthodo-xum Consensum de duabus naturis in Christo p. 154.* *Sadaelem de Chri-stô, & Bezam in colloq. Mompell. p. 227.* Sic *Massonius part. 1. p. 35.* Darneben brauchen sie (*Reformati*) sich der Vernunfft/ vnd fünff Sinnen/ wie Gott befohlen/ vnd Christus selbst gethan hat. Et in *Massonio Triumphante contra Dn. D. Wellerum*, idem (vel liceat mihi propriò ipsum insignire nomine, *Christianus Becmannus Superintendens Zervestanus*) pag. 373. Hierin folgen wir Christo selbst nach; als der durch die eusserlich Sinne des sehens vnd des fühlens die gegenwardt vnd Wahrheit seines Leibes hat erwiesen; *Sehet vnd fühlet mich/ Job. 20. Luc. 24.* Dieses Argument gilt beydes in vnd denn auffer dem Abendmahl. Quibus se *Photiniani* adjungunt. *Ostorodus in Inst. c. 6. p. 42.* Womit wollen sie beweisen/ daß ein Mensch entweder schuldig sey daß zu glauben/ oder auch daß könne glauben war zu sein/ was der Verstandt klärlich bezeuget/ daß es falsch sey. Similia habet *Schmalz. in refut. Theol. D. Franzii Diss. 4. p. 137.* *Nulla est Christiana religionis particula, quæ cum ratione non conveniat; & quæ cum ratione non convenit opi-nie, ea etiam in Theologiâ nullum locum habere potest &c.* Eadem argumenta & Calviniani & Photiniani hîc objicere solent, quæ, priusquam breviter constringamus, notare lubet, *Rationis* voca-bulum hîc non sumi *Passivè*, pro rationali facultate; hanc enim qui negatam iverit, sanè cum ratione insanire putandus est. Neq; *Organicè* siquidem magnam ejus utilitatem in mysteriis expen-dendis ultrò admittimus. Sed *Normaliter*, quatenus ex princi-piis propriis res sibi planè ignotas dijudicare præsumit. *Vide Pl. Rever. & Excellent. Dn. D. Jacobum Wellerum, Præceptorem meum*  
deside-

desideratissimum, in Massoniō σκελε]. primō Disp. 4. p. 102. seqq.  
Quod ut Aversarii propugnent, Objicit Schmalzius contra D.  
Franzium.

1) Rationem prius in Ecclesiā tacere non posse, donec ean-  
dem Scripturæ contrariari doceatur, Disp. 4. p. 137. similia idem  
habet Disp. 5. d. l. p. 165. & Disp. 8. p. 421. R. (α) τὸ Contrariari su-  
mitur vel Abusivè pro diversum & disparatum esse; vel Propriè &  
Contradictoriè. (β) Ratio itidem vel in se, & suā naturā, nempe ad-  
hūc integrā; vel per Accidens sive Corrupta consideratur. Hæc q̄;  
demum vel ut sibi relicta & irrogenita; vel ut regenita. Hinc jam  
mysteria Fidei, quatenus illa in se citra corruptionem, ut pars ima-  
ginis divinæ residua, sive regenita spectatur, non propriè contra  
rationem esse dicimus; secus verò si in natura vitiō & Accidentali-  
ter spectatur, statuendum est. (γ) Rationem regenitam & illumi-  
natam, quā talem, semper verbi ductum sequi haut ignoramus;  
quam primū vero suis relicta vireculis ex ratiocinationibus op-  
pugnare verbum aggreditur, jam non amplius illuminatam hoc  
respectu vocari posse contendimus.

Photiniani  
refutantur.

2) Apostolum cultum λογικὸν requirere Rom. 12, v. 1. idem  
Disp. 8. p. 421. R. (α) Vox λογικὸς non sumitur Logicè de theo-  
riā, ac si cultus rationi humanæ sit conformis, & Doctrinæ Legis  
opponatur; Sed Ethicè, pro sinceritate, cultu spirituali, & obe-  
dentiā purā, sicut Apostolus Rom. 6, v. 9. id ipsum interpretatur, &  
ex 1 Petr. 2. v. 2. uberius patet. (β) Cultus λογικὸς opponitur hoc  
loco cultui V. Testamenti, ubi ἀλογα ζῶα Deo in sacrificiis offe-  
rebantur. Qualis Antithesis etiam datur Job 4, v. 21. Ficulneum  
ergò præsidium est, quò se tueri Schmalzius laborat.

3) Ipsam S. Scripturam rationis usum in mysteriis scrutandis  
nunquam non exigere, Matth. 13, v. 19. c. 15, v. 10. c. 16, v. 9. Marc. 7,  
v. 15. Rom. 1, v. 20. R. Nego totum. Non ad scrutandam my-  
steriorum essentiam, sed ad admittendam divinam de his revela-  
tionem, vel ad discutienda objecta sensibus obvia, ratione tan-  
quam medio recipiente utendum esse, dictis allegatis innuitur.  
Libens enim rationis usum S. Scriptura concedit, sed ne extra li-  
mites vagetur, nec Ancilla Hæræ dominetur, seriō prohibet.

4) Fru-

4) Frustra omninò Christum rationabiliter docuisse, & ex rebus, quas ratio suppeditat, de cœlestibus nos conjecturam facere voluisse. *Schmalz. ibid. p. 421. R.* (α) Ambiguitas est invocabilò *Rationabiliter*. Senu Paulinò jam adductò, non Schmalzianò concedimus. Cùm ex sinu Patris cœlestis doctrinam hauserit *Job. 1, v. 18.* & Apostoli sapientiam DEI in mysteriò absconditam se protulisse fateantur, *Rom. 16, v. 25. 1. Cor. 2, v. 7, 8, 9.* (β) Christus doctrinam suam ad captum rudiorum nonnunquam parabolis ex naturâ petitis illustravit; non ex rationis dictamine illam dimetiri voluit. (γ) Non quærimus de ratiocinâdi facultate, sed de ratione suis λογισμοῖς indulgente, quam meritò improbamus. *Confer Impiet Phot. D. Thummii p. 146. seqq. Feuerborn. in refut. Inst. Ostor. p. 66. seqq. His adjunge B. Meisn. in Diss. de Calvinismò fugiendò thesi 26. seqq.*

(β) Quatenus somniis & speculationibus nō indulget, cōtra Fanaticos & Weigelianos.

XXX. (β) *Simplicissima fides optima fides est, quæ Verbo Dei revelato unicè intendit, haut indulgens somniis vel speculationibus humanis, extra Verbi limites vagantibus.*

Quum enim adæquatum Fidei objectum sit solum Dei Verbum, non possunt non *Fanaticorum* somnia hîc exulare. Quippè quæ Fidem maximè impediunt, & ita facilè quis in Labyrinthos inextricabiles incidere potest, juxta illud Prosperii;

*Quantò plus graditur, tantò longinquius errat.*

Quare Apostolus *Petrus 2. cap. 1. v. 16.* inquit; *Non secuti sumus dotas fabulas, v. 18: sed vocem audivimus cœlitus allatam v. 19. & habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes tanquam lucernæ, hoc primùm scientes, quod omnis Prophetia Scriptura non sit propria interpretationis v. 20. non enim voluntate humanâ allata est aliquando Prophetia, sed à Spir. Sanctò impulsu, locuti sunt sancti Dei homines.* Ex quò patet, Apostolum opponere σσοφισμῶν μύθους, & vocem cœlitus delapsam; prophetiam humanam, & inspirationem cœlestem, quâ impulsu locuti sunt Prophetæ & Apostoli. Hinc & Fides nostra ipsorum fundamento superstructa dicitur *Ephes 2, v. 20.*

31. Quis

XXXI. Quis indè non videt, quàm enormiter *Weigeliani* impingant, somniis ac speculationibus suis nimium indulgentes. Ita enim *Weigelius* in *Dial. de Christianismo* p. 24. Ich kenne auß einem Geist in mir selber mehr/ denn daß mich alle Bücher vnd Predigten gelehren kennen bis an den jüngsten Tag. ita & p. 52, 61, 62. Idem in *Postillâ* p. 61, 62. & alibi. Confer *Impietatem Weigelianam* D. Thummii p. 15. seqq. nec non D. Nicolaum Hunnium in *Disp. de Principiis Theol. Fanat. Weigelii* c. 4. thesi 3. seqq. Argumenta eorum palmaria hæc sunt.

*Weigeliani  
refutantur.*

1) *Ex Psalmo 85, v. 9. Audiam quid loquatur in me Dominus.* R. (α) In Hebræo *in me* non extat, (β) Scopus Psalmi Enthusiasticas revelationes impugnat. (γ) A Weigelianis ad Davidem argumentari inconueniens est.

2) *Esa. 54, v. 13. Ubi dicuntur universi filii à DEO docti.* Resp. Non sequitur; Ergò per arcanas revelationes, quippè quas *cap. 8, v. 20.* Propheta rejecerat.

3) *Jerem. 31, v. 31. seqq. in primis v. 33. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam &c.* R. Loquitur Propheta non *Absolutè*, sed *Comparatè*, comparatione institutâ inter V. & N. Testamentum, quod nempè in N. T. gratia Spir. Sancti copiosior sit futura, quàm in V. T. Subordinata igitur non sunt opponenda.

4) *Joel. 2, v. 28, 29. Senes Vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt.* R. Dictum hoc non de Enthusiasticâ inspiratione, sed Spir. Sancti super Apostolos missione, in die Pentecostes factâ exponit Petrus *Act. 2, v. 27.* probat id ipsum contextus, confirmat itidem Orthodoxorum Patrum consensus, *Justini Martyris* in *Dial. cum Tripbon.* *Hilarii* l. 8. *de Trinit.* *Chrysostr.* *Hom. 4. in Acta & Hom. 5. in Epist. ad Eph.* *Oecum. in cap. 2. Act.* Cætera ex ipsius textûs inspectione facile evanescunt. Vide D. Thummium l. c. p. 31. seqq. Quibus simul Calvinianorum error profligatur, qui quasi Autores (teste D. Thummio p. 20.) Weigelio phantasticæ suæ apparitionis extitère. Licet enim Verbo divinò efficaciam suam tribuere videri velint, reipsâ tamen omnem ei virtutem adimunt. Ut videre est apud *Bezam Resp. 2. ad Colloq. Mompel. p. 115, 116. Pa-*

E

reum

reum in Exeg. Germ. p. 80. 81. Imò adhuc Zwinglii somnium Mas-  
sonius, vel Becmannus in Anat. Univers. triumphante cap. 18. p. 750. seqq.  
in primis p. 767. seqq. acriter defendere non abhorret, de quò ta-  
men ipse dubitavit, an à Monitore atrò, an albò istud acceperit.  
De quò in primis vide Pl. Rev. & Excellent. Dn. D. Wellerum c. 1. per  
integram Disp. 9. differentem, illudq; verè Diabolicum fuisse firmissimè  
probantem p. 310. seqq.

(γ) Quate-  
nus præter S.  
Scripturam  
traditiones  
non admit-  
tit, contra  
Pontificios.

XXXII. (γ) *Simplificissima Fides & optima  
est, quæ præter S. Scripturam nullis hominũ san-  
ctionibus nititur.* Quas licet Papistæ pari pietatis affectu  
cum literis divinis accipiendas esse in *Concil. Trident. sess. 4. decret. 1.*  
censeant, easdemq; nullibi non crepent; attamen non possunt  
normæ officiò perfungi traditiones, quùm earum origo immedia-  
tè divinã probari nequeat, quùm de illis ipsis iudicium ex S. Scri-  
pturâ ferri debeat, quùm traditiones ipsorum sint variæ, ambiguæ,  
incertæ; quùm errores multi per illas sint introducti, & etiamnùm  
introduci queant. Solum igitur Verbum & Fides sunt correlata  
perpetua; & verbum est mensura, fides mensuratum; adeoq; ist-  
hæc duo perpetuò se ponunt & tollunt. Argutias quas in contra-  
rium proferre solent, cùm hîc adducere spacium non permittat,  
ad conflictum usque reservamus, & solidè excussæ haberi possunt  
apud summè Venerandum Dn. Seniores nostrum D. Jacobum Marti-  
ni in *Disp. 9. de Verbò Dei p. 287. seqq. B. Gerhard. in Exeg. T. 1. LL.*  
*p. m. 432. seqq. item Confess. Cathol. l. 1. part. 2. c. 5. p. 377. seqq.* Bre-  
viter saltem notari volumus (1.) Traditionis vocabulum à nobis  
hòc locò non sumi *generaliter*, pro doctrinã quòvis modò tradita  
*1. Cor. 11. v. 23. 2. Thess. 2. v. 15.* Nec (2.) de dictis & factis Christi &  
Apostolorum omnibus ac singulis, num omnia literis sint confi-  
gnata, quæstionem esse; Neque (3.) de Ritibus & Ceremoniis Ec-  
clesiasticis; Nec (4.) de ratione tradendorum dogmatum; Sed (5.)  
de Dogmatibus ad credendum jam traditis; *An scilicet Propheta,  
Christus & Apostoli quedam Dogmata creditu necessaria tradiderint,  
quæ, postquam literis sunt consignata, non extent in Scripturis.* Et hoc  
est, quod Cadmæi fratres nunquam probabunt; ut *Magnus noster  
Chemnitius part. 1. Exam. Concil. Trident. p. m. 110.* ad finem usque  
illius;

illius loci operosissimè Distinctionem hanc, quâ octo traditionum genera constituit, expeditissimam reddidit, exactè demonstrans, quàm Sophisticè Pontificii sine discrimine, Patrum testimonia commisceant, & unâ, quod dicitur, fideiâ, omnes traditiones dealbent, & prætextu, specieque antiquitatis simplicioribus fucum faciant.

XXXIII. *Simplicissimam Fidem optimam Fidem porrò dicimus 1. Respectu Fiduciae. (a) Quae in solò Christi meritò exclusis & propriis & sanctorum meritis, gratiam divinam ac salutem eternam certò sibi pollicetur.* Quamvis autem Bellarminus l. 5. de Justif. c. 7. titubanter quidem, aliquam fiduciam in meritis quoque ponendam doceat, & præter alios, Petrus à Sorò in *Fidei Cathol. contra Confess. Würtemberg. in Artic. de Bon. Oper.* Ita fidendum bonis operibus scribat, ut ad expianda peccata, iram Dei placandam, & vitam æternam consequendam necessaria sint & utilia. Quibus calculum suum addunt Salmero T. 7. tract. 40. p. 208. it. T. 15. Disp. 9. in Ep. Hebr. p. 761. Gregor. de Valent. T. 3. disp. 2. quest. 1. punct. 1. Vasquez T. 2. disp. 213. num. 40. & alii. Attamen, ut brevissimis rem expediamus, facile refelli poterunt, si observetur (1) Vocabulum *Meriti* usurpari vel *Generaliter & laxè*, pro quibusvis operibus gratis Deo præstitis, eorumq; gratuitâ remuneratione; *Specialiter & propriè*. (2) Compensationem reddi vel *Pro aliquo*; vel *Propter* aliquid. (3) *Distinguendum esse inter merita damnationis, quæ perfecta; & inter merita gloria, quæ imperfecta.* (4) *Inter piâ Vitæ commemorationem, & inter fiduciam in piâ vitâ positam,* (5) *Inter justitiam Causæ seu bonæ Conscientiæ; & inter justitiam personæ.* In priori, non posteriori sensu & significato Bellarmini argumenta facile concedere possumus. Quæ refutata vide apud B. Gerhard. T. 4. LL. de Bonis Oper. pag. 323. seqq. Confess. Cathol. l. 2. part. 3. p. 824. seqq. item pag. 895. seqq. Brochm. T. 2. de bonis oper. c. 2. quest. 9. p. m. 623. seqq.

Optima Fides dicitur  
2. Respectu  
Fiduciae  
(a) quatenus  
in solò Cbristi  
meritò acquiescit, contra Pontif.

XXXIV. (β) *Quae in solò Dei Verbò revelatò*  
E 2 *acqui-*

(3) Quare  
nus omnia  
ad salutem  
necessaria  
planissime  
revelata  
credit.

acquiescit, certò confidens, omnia, quaecunque ad  
Salutem nostram, modumq; adipiscendi illam spe-  
Etant, non abscondita, sed planissime & plenissi-  
mè in sacro Codice revelata esse, juxta Apostoli pro-  
nunciatum Actor. 20. v. 27. Contestor hodiernâ die, quod nihil sub-  
ticuerim, sed annunciauerim vobis omne consilium Dei. Ita & 1. Cor.  
2. v. 7. contestatur, se loqui sapientiam Dei in mysteriis occultam, quam  
præfinierat Deus ante secula. Quod si igitur omne Dei consilium  
de salute nostrâ revelavit Apostolus, nihil arcanum amplius de illâ  
seruare Deus voluit. Aut si absconditam reliquit, quomodo nos  
illud definire poterimus, cum nec in consiliò Domini affuerimus,  
nec viderimus, neque audiverimus sermones Jerem. 23. v. 18.

XXXV. Vanissimi, imò blasphemii hâc sunt Calviniani,  
qui absconditam in salutis negotiò Voluntatem Deo affingere,  
hancq; Revelatæ opponere, & ita in simplicissimò ac tremendò  
Numine duas contrarias Voluntates statuere non exhorrescunt. Ut  
videre est apud Bezam part. 2. resp. ad colloq. p. 173. Ubi id, quod in  
Deò occultum latet, interdum ab eò, quod patefecit, dissentire scribit.  
Rennech. in Catenâ aureâ p. 134. Deus arcanâ voluntate aliud decer-  
nit, quam lege datâ præscribit. Piscat. vol. 2. disp. p. 71. item, in Re-  
spons. ad Apol. Bertii Anno 1615. edit. p. 140. scribere non abhorret,  
absurdum non esse, Deum interdum loqui falsum. Verùm blasphem-  
ia hæc, contrariaq; ipsorum Calvinianorum argumenta facile  
in fumum abeunt, si observetur, Deum in salutis negotio non absolu-  
tè, sed ordinatè, adhibitis certis mediis, cum hominibus agere. Et  
licet nos ipsi impervestigabilia Dei consilia in gubernandò mun-  
dò, & regendâ Ecclesiâ agnoscamus; hæc tamen salutis nostræ vel  
quicquam officere pernegamus. Confer B. Meisn. Anthrop. dec. 2.  
p. m. 46. seqq. B. Gerhard. disp. de Gloriâ Dei Tom. 1. disp. 6. p. 267.  
seqq.

Status Con-  
troversie.

XXXVI. Ex omnibus jam ita dictis genuinum Contro-  
versie statum hunc in modum formamus; *An Fides Noti-  
tiâ, Assensu, & Fiduciâ constans, & citra scrupu-  
losam*

losam rationis inquisitionem, exclusis omnibus  
hominum sanctionibus, Verbo Dei revelato unicè  
insistens, & in solò Christi meritò in Scripturis  
nobis ad apertò firmiter acquiescens, adeoq; sim-  
plicissima, sit optima Fides?

Quod omninò firmiter asserimus, & subsequenti Capite ube-  
rius nunc demonstramus.

## CAPUT SECUNDUM

Argumenta κατὰ ἰσχυρὰ sententiæ nostræ  
exhibens.

XXXVII. Primum itaque membrum, Thesi 28. positum,  
quod nempe Simplissima Fides respectu Notitiæ & Assensûs, quæ  
citra rationis consultationem, soli verbo revelato intendit, sit opti-  
ma, Contra Calvinianos & Photinianos probamus.

Primum  
Membrum  
thesi 28. po-  
situm proba-  
tur contra  
Calvin. &  
Photin.

§ 1) Ex Articulorum Fidei Naturâ. Hi enim non ex rationis  
diametrò petuntur, sed in forò, quod supra rationem est, constitu-  
untur, juxta dicta Esa. 55. v. 8. Matth. 11. v. 27. cap. 16. v. 17. Johan. 1.  
v. 17, 18. cap. 3. v. 8, 9. adeoq; de illorum vel veritate, vel falsitate, &  
per consequens de Contradictione in illis, ratio humana judicare  
nec potest nec debet. De quò Apostolus 1. Cor. 2. v. 6. inquit; Sa-  
pientiam loquimur, non hujus seculi, neque Principum seculi; sed lo-  
quimur Dei sapientiam in mysteriò absconditam, quam nemo Princi-  
pum hujus seculi cognovit. Hinc que supra naturam sunt, nequa-  
quam ex natura legibus judicanda censeo, dicit subtilissimus Scaliger  
Exerc. 77. sect. 2. Idem; Homini nunquam satis felix Ingenii fuerit  
ad cogitandum omnia magnifica, ingentia, immensa, de ineffabili  
Dei potentiâ. Exerc. 363. sect. 9. Quod enim intelligimus, debemus  
rationi; quod credimus, auctoritati, quod opinamur, errori. Agusti-  
nus T. 6. de Util. Cred. c. 11. Siquidem initium Fidei est à DEO Epb.  
2. v. 18. Job. 6. v. 29. Phil. 1. v. 6. 29. ipsum velle credere est à DEO,  
non à nobis 1. Cor. 2. v. 4, 5. Phil. 2. v. 13. Job. 5. v. 44. c. 15. v. 5. Incre-

mentum Fidei à Deo datur *Marc. 9. v. 24. Luc. 17. v. 15. 2. Theff. 1. v. 13.* à Deo denique fides proficiscitur ac consummatur, non à ratione *2. Theff. 1. v. 11. Phil. 1. v. 6.* Christianos ergo volentes firmitatem accipere fidei verae, ad nullam rem confugere decet, quàm ad Scripturam. *Chrysof. in Matth. Hom. 49.* Hoc nisi fit, μεταβάσις εἰς ἄλλο γένος committitur, & Domina hero subjicitur. Testimonia Patrum numero plura congesta vide apud *B. Chemnit. de duabus Nat. in Christo c. 10. p. m. 54.*

§ 2) *A Naturali Rationis cæcitate.* Dicente enim Apostolo, Animalis homo (α) ἢ δέχεται non percipit ea, quæ sunt spiritus, (β) μωροὶα stultitia siquidem sunt illi (γ) καὶ ἢ δύναται γινώσκειν, nec potest intelligere, quia spiritualiter dijudicatur. Quis enim cognovit mentem Domini, qui consilium daturus sit illi. *1. Cor. 2. v. 14. 16.* quod itidem *Ecclesiast. 8. v. 17. & Sap. 9. v. 16.* confirmatur. Quid jam aliud, nisi unum verum, nos in luce rerum tenui caligare, in mediocri cæcutire, in majori cæcos esse, in maximâ insanire, attestante *Scaligerō Exerc. 131. sect. 1.* Et quotus quisque nostrum ignorat inscitiam suam? quam tùm demum cum verâ sapientiâ commutabit, ubi non invitus, ac verò lubens fatebitur, se nihil scire. *Idem Scalig.* Hæc cum ita se habeant, incertum rationis iudicium in rebus fidei sit necessum est.

§ 3) *A Necessariâ Rationis captivatione.* *2. Cor. 10. v. 4.* Armæ militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo, ad demolitionemmunitionum, consilia destruentes, v. 5. & omnem altitudinem extolentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentis omnem intellectum in obsequium Christi. Si igitur militiæ nostræ spirituales oppugnat (α) armaturam carnalem (β) πᾶν ὑψωμα ἐπαιρημένον καὶ τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ (γ) λογισμὸς (δ) πᾶν νόημα, utique rationi inquisitionis scrupulosæ examen nullatenus concedit. Verum prius est. Ergo & posterius. Et non potest Deo grata esse curiositas, quæ per conjecturas inanes ἀεργασίας, in fumum tandem, & meras nugas desinat est necessum.

§ 4) *A Necessariâ in rebus Fidei Simplicitate.* Piscatoria enim Simplicitas non admittit importunas rationis speculationes juxta *1. Cor. 3. v. 18.* Apostoli effatum; nemo seipsum seducat, Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat ut sit sapiens. Sapiencia

*piencia enim hujus mundi stultitia apud DEum.* Atqui in rebus Fidei necessaria est piscatoria simplicitas; quippè quæ à Christo mandata *Matth. 10. v. 16. & cap. 18. v. 3.* Ergò istiusmodi rationis speculationes non admittuntur, & quicquid nos ab hâc purâ simplicitate abducit, meritò è Fidei territoriò relegatur.

§ 5) *Ab opinionum fluxibilitate.* Rationem humanam creberrimè vacillare & inconstantem esse, nemo non secum deprehendit, ut fluctuantis instar maris hûc illûc feratur. Quare & ipse David omnes homines mendaces vocare non veretur *Psal. 116. v. 11.* hincque tantùm bonum esse in Dominò confidere & non in homine *Psal. 118. v. 9.* Siquidem humana sapientia tenebris & vanitate est circumfusa. *Johan. 1. v. 5. Act. 26. v. 18. Rom. 13. v. 15. Gal. 4. v. 8. Ephes. 5. v. 17. 18. DEO adversa, Gen. 8. v. 21. Psalm. 14. v. 1. 2. 3. Rom. 8. v. 6. 7. 1. Cor. 2. v. 14. 2. Cor. 3. v. 5. cap. 10. v. 5.* à DEO itaque omninò est reprobata *Rom. 1. v. 21. 22. 1. Cor. 1. v. 19. 20. cap. 3. v. 19. 20. 2. Cor. 10. v. 4. 5. 6.*

§ 6) *A Piorum Exemplis,* qui & ratione contradicente frustra, nihilominus crediderunt, ut Abraham *Rom. 4. v. 18.* Naaman *2. Reg. 5. v. 10. 11. 13.* Paulus *Gal. 1. v. 15.* Maria *Luc. 1. v. 38.*

§ 7) *Ab Exemplis eorum,* qui rationem in mysteriis consulentes gravissimè errarunt. Ut Tribunus *2. Reg. 7. v. 12.* Nicodemus *Job. 3. v. 4. 9.* Petrus *Matth. 16. v. 22.* Apostoli *Luc. 18. v. 34.* Capernaïtæ *Johan. 6. v. 52. & 60.* Thomas *Johan. 20. v. 25.* Saducæi *Matth. 22. v. 23.* Sic qui rationis secuti sunt dictamen Gentiles, ut plurimùm Philosophi, retracti sunt à conversione, & tenebris Idololâtricis retenti *Act. 17. v. 32.* Sic Agrippa & Festus *Act. 26. v. 24.*

§ 8) *A Sanctorum Patrum attestatione.* Vix enim BB. Patres verba invenire possunt, quibus suorum temporum Philosophos, rationi omnia tribuentes adoriantur. *Tertullianus lib. adversus Hermog. p. 339.* eos vocat Hæreticorum Patriarchas; quod Tertulliani dictum laudat *Hieron. in Epist. ad Ctesiphont. Tom. 3. fol. 114.* Idem *lib. 1. adversus Marcion. p. 154.* de Philosophorum ingeniis, omnem hæresin animari scribit; ac *lib. de præscript. p. 97.* Hæreses à Philosophiâ subornari. *Origenes Hom. 4. ad cap. 7.*

cap. 7. *Exod.* per Cinipheſ & ranas, quibus *Ægyptii* percuffi ſunt, vanam Dialecticorum garrulitatem & Sophiſtica argumenta intelligit. *Ambroſ. lib. 7. de Fide cap. 3.* teſtis eſt; *Arrium* omnem venenorum ſuorum vim in Dialecticâ Diſputatione conſtituiſſe. Cum quô conſentit illud *Socratis lib. 2. Hiſtor. Eccleſ. cap. 28. Aëtium* in errorem *Arrii* putidiſſimum perduxit *Ariſtoteles. Baſilius in cap. 2. Eſa.* Dialecticam vocat bellatricem. Verum omnia hæc de abuſu Philoſophiæ, & ſeducatoribus Philoſophiâ abutentibus intelligenda eſſe nemo non novit. *Vide B. Gerbard. in Metodo Studii Theol. p. 91.*

*Alterum membrum theſi 30 adductum confirmatur.*

XXXVIII. *Alterum Membrum, Theſi 30. adductum,* quod ſcilicet illa Fides, quæ ſomniis vel ſpeculationibus humanis, extra verbi limites vagantibus non indulget, ſit optima Fides, quamvis iisdem argumentis, ac primum, corroboretur, in Specie tamen hoc ipſum *Contra Fanaticos & Weigelianos* demonſtraturi ſumus.

§ 1) *Ab expreſſo DEI mandato.* Quid enim magis nos obſervare decet, quàm ipſius ſummi Numinis tremendam vocem, quæ hæc eſt; *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eò, custodite mandata Domini DEI veſtri, quæ ego præcipio vobis. Deut. 4. v. 2. Non quod tibi rectum videtur, ſed quod præcipio tibi, hoc tantum facito, nec addas quicquam, nec minuas ex eò. Cap. 12. v. 8. & 32.* Hinc quoque tam ſeriò populum ſuum revocat ad *Legem, & ad teſtimonium; Quod ſi non dixerint hoc, non erit eis matutina lux Eſa. 8. v. 20.* Ne igitur tam periculoſè Fides imponatur arenæ *Matth. 7. v. 26.* & fundamento nuſquam radicato, meritò hiſ unicè ſtandum erit.

§ 2) *A Verbi divini ſufficienciâ.* Lex enim Domini *תורה* perfecta, convertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis *Pſalm. 19. v. 8.* Quare Chriſtus quoque ad illam ſuos Auditores ablegat *Johan. 5. v. 39. Scrutamini, inquit, ſcripturas, quia vos videmini vobis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt, quæ teſtantur de me.* Quibus Paulus Apoſtolus edocatus, Timotheum ſuum graviffimis hortatur verbis, ne ab hæc ſe abduci patiatur, dicens; *Tu vero permane in hiſ, quæ didiciſti, & credi-*

credita sunt tibi; sciens, à quò didiceris, & quia ab infantiâ sacras  
litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in  
Christo Jesu. Omnis enim scriptura divinitus inspirata utilis est ad  
docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justi-  
tiâ, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus, 2. Tim. 3.  
v. 15. 16. nec mirum, cùm in S. Scripturâ omne de salute nostrâ  
consilium annunciatum siet Act. 20. v. 27. ita ut visionibus &  
hujus farinae aliis repudium mittere haut immeritò teneamur.

§ 3) *A N. Testamenti Naturâ.* Etenim Deus olim (nempè in  
V. T.) πολυμερῶς, multifariam (quæ vox diversitatem perso-  
narum, temporum, circumstantiarum includit) καὶ πολυτρόπως,  
multis modis (quod ad modum revelationis referunt Interpretes  
rectissimè) loquens Patribus in Prophetis, novissimis autem his die-  
bus locutus est nobis (primò) in Filiò Hebr. 1. v. 1. 2. postea vero ipse  
dedit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios Evangelistas,  
alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum in  
opus ministerii, in adificationem corporis Christi Ephes. 4. v. 11. 12. Pa-  
tet ergò hinc luculentissimè, nos in N. T. non ad somnia & reve-  
lationes, sed tantùm ad Filium ceu unicam Cynosuram, & Do-  
ctores in verbo remissos esse.

§ 4) *A Fundamenti Fidei eversione.* Fundamentum enim in  
salutis negotiò ἀμετάπτωτον καὶ τετράγωνον omni modò esse  
debet, juxta parabolicam Christi explicationem Matth. 7. v. 26.  
28. ne, qui ὅτι τῶ θεμελίῳ Apostolorum & Prophetarum su-  
perstructi sumus, Ephes. 2. v. 20. arundinum instar à ventò agitati  
Matth. 11. v. 7. omni ventò doctrinæ circumferamur Ephes. 4. v. 14.  
Hoc verò, quàm lubricum per somnia Fanaticorum, omni pro-  
missione destituta reddatur, stolido quæ Matth. 7. v. 26. similes nos  
efficiat, neminem non edocebit. (1) *Diaboli malignitas*, qui sæ-  
pius in Angelum lucis transformatus 2. Cor. 11. v. 14. potens est in fi-  
liis incredulitatis Ephes. 2. v. 2. (2) *Somniorum Vanitas* Syrach. 34.  
v. 1, 2, 5, 7. & ne iisdem fidamus, prohibet ipse DEUS Jer. 29. v. 8.  
(3) *Exemplorum veritas*, Achabi scilicet, qui revelationibus Pro-  
phetarum suorum vanis miserè deceptus legitur 1. Reg. 22. v. 19, 21.  
& in N. Testamento Mahumetistarum, Anapaptistarum, Mona-

Aerientium, aliorumque, de quibus *Schleidanus lib. 10. comment. Nicephorus lib. 4. Histor.* (3) *Minarum Domini severitas*, qui ejusmodi illusionibus contemptum verbi se puniturum prædixit. *Esa. 29. v. 10. Jer. 14. v. 13. c. 27. v. 9. c. 29. v. 8.*

§ 5) *Ab Exemplorum inductione.* Omnes enim ordinariè conversi unò ore profiteri necessum habuerunt, Verbum DEI prædicatum, auditum & lectum, ordinarium organum & medium fuisse, per quod DEUS in ipsis fidem excitavit. Exemplo nobis sunt *David Psalm. 26. v. 6. 7. 8. Psalm. 27. v. 4. Psalm. 42. v. 3. Psalm. 122. v. 1. Judæi & Auditores Petri Act. 2. v. 37. Eunuchus cap. 8. v. 35. & 38. Cornelius cum suis domesticis cap. 10. v. 44. Antiocheni cap. 11. v. 21. Gentiles cap. 13. v. 48. Lydia cap. 16. v. 14. Beroenses cap. 17. v. 12. Ephesii cap. 19. v. 17. Judæi quidam Romæ viventes cap. 28. v. 24.* Omnesque gentes in totò terrarum orbe, quorum conversionem non per somnia, sed verbi prædicationem, Sacramentorumque administrationem ab Apostolis Christus unicè procurari voluit. *Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15 16.*

§ 6) *A perpetuâ Ecclesiæ praxi.* Omni enim tempore instituti fuere solennes Ecclesiæ congressus, ut ad publicum ministerium fideles congregarentur, consentiente Scripturâ *Psalm. 99. v. 4. Psalm. 100. v. 4. Psalm. 122. v. 4. 2. Reg. 10. v. 20. Esa. 2. v. 3. Joel. 2. v. 16. 17. Matth. 18. v. 20. 1. Cor. 11. v. 17. Hebr. 10. v. 25.* Verbum DEI prædicetur. *Lev. 10. v. 11. Esa. 8. v. 20. Ezech. 44. v. 23. 24. Joel. 2. v. 17. Luc. 4. v. 16. Marc. 6. v. 2. Luc. 13. v. 10. Act. 13. v. 14. 15. 44. c. 15. v. 12. cap. 17. v. 18. cap. 18. v. 4. cap. 20. 27. Col. 4. v. 6. 1. Tim. 2. v. 12. Tit. 1. v. 9.* Domi meditandò repetatur *Deut. 6. v. 7. Prov. 6. v. 21.* In corde servetur, *Dan. 7. v. 28. Luc. 2. v. 52.* Atque filiis ac domesticis quoque, exemplò Abrahami *Gen. 18. v. 17. 19.* probè inculcetur *Deut. 4. v. 9. cap. 6. v. 6. 7. Psalm. 77. v. 4.* Ex his jam ὁφθαλμοφανές patescit, quàm imbelli argumentorum armaturâ gens ista Fanaticorum incedat instructa.

*Tertium Membrum thesi 32. propositum stabilitur.*

XXXIX. *Tertium denique Membrum Thesi 32. propositum, quod nempe Fides illa, quæ præter S. Scripturam nullis hominum sanctoribus nititur, sit optima Fides, licet ex præcedentibus quodammodò innotescat, contra Pontificios insuper tamen probatum damus.*

§ 1. A. S.

§ 1) *A S. Scripturæ auctoritate.* Ut enim siccò hîc pede præteream illud, quod Traditiones Papales S. Scripturæ perfectionem ac sufficientiam, Thesi præcedente § 2 evictam, omninò tollant, contrariantur quàm maximè Christi verbis *Matth. 5. v. 12. seqq.* Ubi traditionibus Pharisaicis expressa Legis verba opponit, à Traditionibus ad scripturam nos revocat, tandemque Pharisæos increpat, quod irritum fecerint mandatum DEI propter traditiones suas *cap. 15. v. 6.* adductò simul Oraculò Prophetico ex *Esa. 29. v. 13.* *Frustra colunt me docentes doctrinas, mandata hominum.* Cujus explicationem Apostolus subinfert infallibilem *Gal. 1. v. 8.* usus his verbis; *Licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.*

§ 2) *A Traditionum humanarum incommoditate.* Illæ enim aut idem cum S. Scripturâ docent, aut aliud. Si idem, sunt superflue; si aliud, tunc juxta Spiritus sancti effatum cane pejus & angue fugiendæ, quippè qui *Apocal. 22. v. 16.* Scripturam N. T. emphaticis concludit verbis; *Contestor omni audienti verba prophetiæ libri hujus; si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitate sanctâ, & de his, quæ scripta sunt in libro isto.* Hæc autem verba non de solo Apocalypseos librò, sed de universâ S. Scripturâ dicta esse, rectissimè statuit ipse *Scotus in Prolog. Sentent. quest. 3. art. 3.*

§ 3) *Ab Hæreticorum Proprietate.* Cum enim ex Scripturis arguuntur (Verba sunt Irenæi lib. 3. p. 169.) in accusationem convertuntur Scripturarum, quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciunt Traditionem, non enim per literas traditam illam, sed per vivam vocem. Quod idem Irenæus testatur de Discipulis Simonis Magi lib. 1. cap. 1. & 17. de Valentinianis lib. 4. cap. 46. Athanasius orat. 2. contra Arrian. de Arrianis. Concil. Chalcedon. act. 1. de Eutyche, & alii Patres, de aliis Hæreticis.

§ 4) *A Traditionum fallibilitate.* Quum enim & Origo earum nec à Christò, vel Apostolis sit profecta, nec ipsi Pontificii de traditionum suarum numero sint certi, diversitas quoque sententiarum, tum de traditionibus ipsis, tum de earum auctoritate, depre-

deprehendatur maxima, hæcque insuper opinio magnis olim in Ecclesiâ Viris imposuerit, nihil certi, & solidi ex illis obtineri poterit.

§ 5). *A suffragii saniorum Pontificiorum dexteritate.* Illi ipsi enim Adversarii, veritatis illustri splendore ducti & victi, idem nobiscum profitentur liberè. *Stephanus Brulifer super sentent. Bonaventuræ circa Annum 1470. scripsit;* Nec Papa, nec Concilium, nec ullum planè hominem posse quicquam præcipere sub pœnâ peccati mortalis, quod ante à Deo præceptum non esset. *Johannes Ferus in cap. 15, Matth. p. 2.* Quod Christus Phariseis hîc dixit; (*Quare transgredimini præcepta Dei propter Traditiones vestras?*) etiam nobis dictum esse sciamus. *Habemus enim & nos Traditiones Seniorum, & constitutiones, & quidem multas nimis. Sunt enim Prælati Ecclesiæ admodum liberales in constitutionibus faciendis, quas tamen ipsi interdum ne minimò quidem digito attingunt. Quod autem eadem Constitutiones à quibusdam nimium protervè & ad unam omnes contemnunt, quasi tùm veros Christianos agerent, cum omnia contemnunt, nequaquam probare possum. Necessariae quidem sunt etiam externæ ordinationes & constitutiones; necessariae inquam sunt, non ad justificationem, sed ad pædagogiam, ad regendos & assuefaciendos imperitos, itemque ad utilitatem corporalem & pacem &c. hujusmodi ordinationes non damnat Christus, neque Paulus. Johannes Hoffmeisterus Tom. 2. Hom. Dom. Cantate. Nos jactamus auctoritatem Ecclesiæ & Traditiones Patrum, cum interim nostris malis moribus debonestemus Ecclesiam, Christi sponsam, & non Traditiones Patrum, sed pessimas corruptorum hominum consuetudines sectemur, & interim tam suaviter nobis blandimur, ac in sinu gaudentes alter alteros calumniamur. Nos illis depravatam Evangelium, illi nobis corruptam Ecclesiam objiciunt, & meo judicio neutri fit injuria, utrique vera dicunt. Vatablus Professor Parisiensis in annot. Deut. 4. Causatur Moses, ideò nihil esse addendum, vel demendum verbis DEI, ne non serventur præcepta DEI, quod Traditiones hominum verbo DEI addita obstaculo sint, ne serventur. Præcepta enim hominum vertunt à veritate, Tit. 1. & seducunt corda innocentium Rom. 16. Ita Johannes Sarisberi-*

risberiensis in Policraticò ; Sedent in Ecclesiâ humanâ Scribe & Pharisei, ponentes onera importabilia in humeros hominum. Pontifex magnus omnibus gravis ac penè intolerabilis est. Ita debabantur ejus Legati, ac si ad Ecclesiam flagellandam egressus sè Satan à facie Domini &c. Plures alie absurditates, (verbis concludo Oneris Ecclesiæ cap. 43. § 13.) & enormes perversitates & abusiones, aliq̄q̄ Traditiones Contra Evangelicum statum introducta allegari possent, quæ hodiè in quibusdam Ecclesiis, quasi pro legitimò jure defenduntur, quas ad præsens brevitatis gratia (& ipse) prætereo. Confer Conf. Cath. Gerbard. lib. 1. part. 2. p. 354. seqq.

XL. Ultimò nunc restaret probandum, quod Simplissima Fides respectu Fiduciæ, quæ Christi merito tantum innitiur (Thesi 33.) inque solò DEI verbò, circa salutis negotium, revelatò unicè acquiescit, (Thesi 34.) sit optima Fides. Verùm, cum ex præcedentibus ista adundè satis liqueant, ne actum agere videamur, labore isthòc superfedere de facili possumus, hanc nostram Disputationem hòc Syllogismò concludentes.

*Quæcunque Doctrina Fidei fundamentum tenet incorruptum, in tremendis mysteriis & tantum credendis rationem capistrat, somniis & speculationibus extra verbi limites vagantibus non indulget, nullas hominum sanctiones, præter S. Scripturam admittit, in solò Christi meritò unicè acquiescit, omniaque ad salutem necessaria planissimè in S. Scripturis esse revelata piè credit, illa Doctrina extra omnem controversiam est optima.*

*Sed Orthodoxa seu Lutherana Doctrina talis est; ut ex thesibus satis demonstrari potest.*

*Ergò Orthodoxa seu Lutherana Doctrina extra omnem controversiam est optima.*

F I N I S.

**M**agnos sæpè viros LUSATIA protulit orbi,  
Et sua per multos germina sparsit agros.  
Leucoridum Cathedris POMPEIUM indulsit honoris,  
Tradere GUEINZIADEN nec dubitavit HALÆ.  
Te quoque LAURENTI, patriæ decus esse futurum  
Auguror, & reduci prospera fata precor.

*F. Valedicenti benedicens*

Paulus Röberus D.

---

**F**undamenta petis fidei, præclare Magister,  
*Quæq; cluat simplex, salvificansq; fides,*  
Eruis è purò sacri Systemate verbi.  
*Hoc est quod punctum grande meretur opus.*  
Unum est fundamen Christus, qui Petra Salutis.  
*Hunc fidei fundum noscito, salvus eris.*

Convictori suo f.

Johannes Scharfius Theol. Licent.  
& Profefs. Publ.

---

**H**æc quæ nova est sapientia hem! (Dicam quod est  
Res,) quæ nova est dementia, & stultissima  
Stultitia in Articulis, fidem spectantibus,  
Dare sensibus locum! Nova est rabies, furor,  
*A sensibus qua discrepant, non credere.*  
*Haud est fides, credis nisi quæ non vides:*  
Sæpeq; fides quod approbat, sensus negat;  
Conceditur nec, ratio rebus vult in his  
Si judicare; judicat nam cæcus ut  
Malè de colore, cæca nimium, brutaq;  
Erroribus, tenebrisq; plena, incertaq;

Ubi

Ubi eam putes certissimam, testatur ut  
Natura tota; lambimus cujus adhuc  
Extrema, nec ad intima venimus, hospites  
Ciconiæ: quod veritas absconditur  
Imo profundo, vix ut eruas, licet  
Multum labores. *Ab quid ultra quam decet  
Sapimus!* acutum tam videntes arduis  
In rebus, at talpæ vel in eis quæ pedes  
Sunt ante. *Simplex est fides certissima,  
Interpolat quam nec rudis sensus, neque  
Mens diluit, demens in arcanis. Dei,  
Vinum optimum ut meraculum.* venusta sic  
Virago verè, purpurisso quæ sine  
Venusta. LAURENTI, quod ostendis bonâ,  
Jupiter! in assertatiunculâ Tuâ.  
Ob quam Tibi spondemus haud injuriâ  
Laurum, Tuum circaq; Serpentem Caput  
Hederam corymbis floridam semper novis.

*Ἀυτοχρηδῶς fecit declarandi affectus bene-  
voli ergo in Eximium Dn. Respond.*

M. Nicolaus Pompejus Mathematicum  
Infer: Profefs. Publ.

---

**Q**ui tot triumphos, tot trophæa portavit  
*Vir HULSEMANNUS, Vir Dei, sub augusto  
Duce hoc cathedram scandis haud timens, divam,  
Linguâq; doctâ SIMPLICEM FIDEM ostendis.  
AMICE, talo ô quam bono pedem figis  
Magna ut tuum te premiet caput laurus!*

Ita approperabat fida  
manus Commensalis  
Sebastiani Friderici à Rötteritz  
Nob. Misn.

Ubi cum puer centum annis  
Natus tot; tantumque  
Fuerit, nec ad hunc veniens, hunc  
Cicero, quod veritas, hunc  
Imo hunc, ut in hunc, hunc  
Miles, hunc, hunc, hunc  
Sapientia, hunc, hunc, hunc  
In hunc, hunc, hunc, hunc  
Sunt hunc, hunc, hunc, hunc  
Inter hunc, hunc, hunc, hunc  
Hunc, hunc, hunc, hunc  
Fuerit hunc, hunc, hunc, hunc  
Vires hunc, hunc, hunc, hunc  
Vires, hunc, hunc, hunc  
Ipsa, hunc, hunc, hunc  
Opus, hunc, hunc, hunc  
Languis, hunc, hunc, hunc  
Hunc, hunc, hunc, hunc

Ad hunc, hunc, hunc, hunc  
Inter hunc, hunc, hunc, hunc

Magis in hunc, hunc, hunc, hunc  
Magis, hunc, hunc, hunc  
Magis, hunc, hunc, hunc  
Magis, hunc, hunc, hunc  
Magis, hunc, hunc, hunc

In hunc, hunc, hunc, hunc  
In hunc, hunc, hunc, hunc  
In hunc, hunc, hunc, hunc  
In hunc, hunc, hunc, hunc

1400. Mill.

111



05 A 1952


ULB Halle 3  
003 785 319



1077 0d1







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

J. V. 15

PHILOGOLOGICA,  
**PLICISSIMA**  
 ima Fides,  
*simul*  
 TU NECESSARIIS.  
 miâ Wittebergensi,  
 RESIDIO  
 R I  
 i, *Præclarissimi &*  
*tissimi*  
**HULSEMANNI,**  
 l. celeberrimi, Alumno-  
 ceptoris ac Promotoris  
 antiæ cultu profe-  
 di,  
 Examini publico  
 icit  
**LAURENTI,**  
 usatus,  
 iô Majori  
 Junii.

---

BERGÆ  
 MICHAELIS WENZ.  
 DC XLI.

